



## **Qvadripartitae Conciones Stanislai Grodicii Societatis Iesv**

Qvarum Primae, Timorem Sanctvm Incvtiunt; secundae Fidem Catholicam confirmant; tertiae Spem erigunt; postremae diuinam in nobis Charitatem excitant ...

Continet sex Dominicas Quadragesimae, & coenam cum paßione Domini

**Grodzicki, Stanisław**

**Ingolstadii, 1609**

Dominica Passionis. Euang. Ioan.8.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56003](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56003)



# DOMINICA PASSIONIS.

*Euang. Ioan. 8.*

**I**N illo tempore: Dicebat Iesus turbis Iudæorum, & principibus sacerdotum. Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico, quare non creditis mihi? Qui ex Deo est verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Responderunt igitur Iudæi, & dixerunt ei. Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & demonium habes? Respondit Iesus, Ego demonium non habeo: sed honorifico patrem meum, & vos inhonorastis me. Ego non quero gloriam meam, est qui querat & iudicet. Amen amen dico



dico vobis; si quis sermonem meū  
seruauerit, mortem non videbit in  
æternū. Dixerunt ergo Iudæi: Nūc  
cognouimus, quia dæmonium ha-  
bes. Abraham mortuus est, & pro-  
pheta, & tu dicis, si quis sermonem  
meū seruauerit, non gustabit mor-  
tem in æternum. Nunquid tu ma-  
ior es patre nostro qui mortuus est?  
& propheta mortui sunt: quem te  
ipsum facis? Respondit IESVS. Si ego  
glorifico me ipsum, gloria mea ni-  
hil est. Est pater meus qui glorificat  
me, quem vos dicitis, quia Deus ve-  
ster est, & non cognouistis eum, e-  
go autē noui eum. Et si dixero quia  
non scio eum: ero similis vobis mē-  
dax. Sed scio eum, & sermonem e-  
ius seruo. Abraham pater vester ex-  
ultauit, vt videret diem meum: vi-  
dit, & gauisus est. Dixerunt ergo Iu-  
dæi ad eum. Quinquaginta annos  
nondum habes, & Abraham vidisti?  
Dixit eis IESVS. Amen amen. dico  
vobis. Antequā Abraam fieret ego



sum. Tulerunt ergo lapides, ut iacerent in eum. IESVS autem abscondit se, & exiit de templo.

## PARTITIO.

**C**ertamen continuum Christi domini, cum suis adversarijs describit nobis hoc sacrum Evangelium: Cuius tot erant membra, quot sunt tum Christi propositiones: tum Iudeorum contorta responsiones, Quatuor utring, proinde singillatim oculo: quarum tamen vitima ex lapidibus non ex verbis constat.

Nos in prima concione exordio ducto ab illis verbis QUI EX DEO EST VERBA DEI AUDIT. PROPTEREA VOS NON AUDITIS, QUIA EX DEO NON ESTIS, de reprobatione suprema timoris materia agemus. In secunda dum Evangelij expositionem percurramus, ex dictis quidem Christi Ecclesiam, ex iisdem vero, & cum primis ex factis Iudeorum synagogam hereticorum depingemus. In tertia duo vexilla explicabimus, & sub ijs bellum spirituale adornabimus: ac illos qui meliorem eius sequuntur partem, bonam in spem erigemus. In postrema beneficia Christi, in primis autem predestinationis recolentes Charitatem cum omnium, tum religiosorum excitare conabimur.

CON-





## CONCIO I.

## TIMOR.

REPRO-  
BATIO.  
Agemus de  
ea propter.

*Qui ex Deo est verba Dei audit. Pro-  
pterea vos non auditis, quia ex Deo non  
estis.*

**V**T de altissimo & incomprehensibili  
prædestinationis ac reprobationis my-  
sterio agam hodie adducor auctoritate dua-  
rum Ecclesiæ Catholicæ columnarum, Au-  
gustini inquam, & Gregorij, qui verba the-  
matis loco posita, de hoc secreto abstrusissi-  
mo intelligunt. Quid ni igitur tantorum  
nos quoque insistamus vestigiis? præsertim  
cum & temporis, & improborum, ne dicam  
reprobatorum istorum qui secreto hoc abu-  
tuntur, & Evangelij id postulet ratio? Tem-  
poris quidem, quod eiusmodi est, vt istos e-  
tiam ad pœnitentiam inuitet. Ipsorum ve-  
ro ne suis ineptis argutiis, nimium sibi sape-  
re, illisque cæteros deprauare velint. Euan-  
gelij denique quod huic materiæ prout hoc  
loco tractari debet satis est accommodatum.  
Non enim agendum est hîc nobis, quoniam

1. Auctori-  
tatem SS. 3  
Patrum.  
Aug. tract.  
42 in Ioan.  
Greg. hom.  
18. in Euag.

2. Tempus.

3. Necessi-  
tatem.

4. Euangel.



*Agemus  
Sero relictis  
subtiliorib.  
Hac. n. sunt*

*Et cursiva.*

*Et inuti-  
lia.*

*Et nociva  
Sulgo du-  
pliciter.*

*Pro. 25. 27.*

ista modo fiat; an præuisis meritis aut demeritis, vt Græci Patres, vna cum nostro Hieronymo, & aliis volunt; an nulla habita eorum ratione, vt placet Augustino, & Thomæ Aquinati: an vero sicut probatur quibusdam, absque intuitu quidem bonorum operum prædestinatio, respectu tamē malorum factorum reprobatio perficiatur, an deniq; alio quopiam, ab aliis excogitato modo. Ista inquam, & his similia, in quibus nonnunquā aut nodi (vt est in prouerbio) in scirpo quærentur, aut nodi inextricabiles vltro citroq; reponuntur, cum definitionibus, diuisionibus, subtilissimis argumentationibus, scholæ omnino relinquēda, neq; vilo modo è suggestu pertractāda cēseo, cū quod inutile, tū q̄ etiā nociuū sit, hæc in vulgus spargere. Inutile quidē, quia scire hæc populū ad ipsorum salutem (quæ scopus esse debet cōcionatorum) pertinet nihil. Istaque forte est causa, quare Deus in hac vita id occultum esse voluit. Nocium vero: tum quod ea quæ dicuntur, à plerisque imo pene omnibus, aut penitus non percepta, aut malè intellecta, præter contentiones, scrupulos, & laxitatem conscientiæ, nihil pariant: tum quod hîc maximè illud sapientis, *qui scrutator est maiestatis opprimetur à gloria, locū habeat.* Et vero si is qui in tertiū cælum raptus fuerat, hanc ipsam considerans materiam excla-



exclamavit. *O altitudo diuitiarum sapientiae & scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius & inuestigabiles viae eius!* quid nos humi stratos facere decet? *Rom. 11. 33*

Non igitur acuta, sed haec vtilia, à me hodie expectare debetis. Primo thematis expositionem, quod non ideo à me est positum, vt in eo tota nostra fundetur concio, prout aliàs facimus, sed ob SS. Patrum, vt dixi auctoritatem. Deinde ex tota hac Christi cum aduersariis, concertatione notas cum praedestinationis, tum reprobationis percensebimus. Praeterea obiectiones quorundam inquietorum (ne quid grauius dicam) vulgo plausibiles, re ipsa vero ineptas afferemus & refutabimus. Postremo malis remedia adhibebimus. Da seruator noster Christe Iesu, ita id agamus, vt supremi istius mali, sancto concussi timore, te duce & mediatore inter reprobos non censeamur.

*PROP.  
Quadrimestris.*

QVI EX DEO EST VERBA DEI AVDIT, PROPTEREA VOS NON AUDITIS, QVIA EX DEO NON ESTIS. Quamuis non absque magna ratione & causa, verba haec à praedictis Patribus, priora quidem praedestinati, posteriora vero reprobis applicentur: non sunt tamen illa eiusmodi, vt clarum nobis utrorumque praebant monumentum, cum & ex scriptura, & ipsa constet experientia,

*I. MEMB.  
Thema explicat signum hoc non esse certae praebatur.  
1. Experientia.*



ria, haud paucos fuisse, esse, futurosque, tum qui ab auditione verbi Dei abhorruerint, & tamen è prædestinatorum essent numero: tum qui illud diligenter audierunt, imo ipsi nonnunquam annunciarunt, nihilominus reprobi facti, reprobati sunt. Singula ex singulis instrumentis referamus exemplorum

2. Exemplo  
Veteris Te-  
stamenti  
Saulis &  
1. Reg. 13. 1.

paria. Quid enim in veteri Testamento verba illa sibi volunt, de Saule primo Iudæorū rege prolata? *Filius unius anni erat Saul cum regnare cepisset, duobus autem annis regnavit super Israël.* Nihil certe aliud, quam Sauleū biennio illo, tam bonum & innocentem fuisse, ut puer unius anni esse consueverit, quod utique in adulto, sine auditione verbi Dei esse non potuit. Iste tamen tam diligens non solum auditor, sed etiam observator, imo & prædicator verbi Dei, teste scriptura, cuius illa sunt verba de eo loquentis, & prophetauit cum ceteris coram samuele, hic inquit

1. Reg. 19.  
24.  
1. Reg. 21. 4

Saul qui prophetauit, ideoque etiam prædicavit verbum Dei reprobatus fuit, non tantum ratione regni terreni, quod minimum, sed etiam respectu regni cœlestis, quod summum est. Intulit enim sibi manus violentas homo sceleratus. E contrario vero de Iona legimus, illum ita noluisse, cum audire, tum annunciare verbum Dei, ut eo nomine fugeret in Tharsis à facie Domini: & tamen è prædestinatis fuit, propheta sacer. Similiter in

Iona 1. 3.



in nouo Testamento, Iudas Iscariotes, verbi  
 Dei ex ore ipsius filij Dei procedentis, non  
 solum auditor, sed etiam prædicator fuit, &  
 è primis duodecim vnus, quia Apostolus,  
 quem tamen reprobatum fuisse quis igno-  
 rat? Contra vero Saulus, qui & Paulus, a-  
 deo audire verbum Dei renuebat, vt etiam  
 eos qui illud annúciabant, & persequeretur,  
 & neci traderet, quem tamen è prædestina-  
 tis fuisse apertum est.

Quare cum auditio vel non auditio verbi  
 Dei, non sit euidentis prædestinationis aut re-  
 probationis documentum, vt & Christi Do-  
 mini, & Sanctorum dicta, hac de re intelli-  
 gantur, quatuor sunt obseruanda. Primum  
 auditionem hinc verbi, vt aliàs ferè semper,  
 non de aurita tantum eius perceptione (sic  
 enim audiebant illud Iudæi, quos tamen au-  
 dire verbum Dei negat ipse Christus in hoc  
 Euangelio) sed de receptione eius, tum per  
 fidem in intellectu, tum per obedientiam &  
 executionem in affectu intelligendam esse.  
 Itaque auditio verbi vt sit signum prædesti-  
 nationis, tria habere debet, nempe fidem quæ  
 est, ex auditu, & talem fidem, quæ per chari-  
 tatem operatur, quæ omnia constant nobis  
 ex Diuo Paulo. Reprobationis vero nota  
 est, aut non audire auribus verbum Dei, aut  
 audito fidem non adhibere, aut etiamsi cre-  
 das, non secundum verbum Dei viuere.

Quiduis

*3. Exemplo  
 noui Testa-  
 menti.  
 Iude isca-  
 riuo &  
 Pauli.*

*Pro intelle-  
 ctione ne-  
 tandam quæ  
 tuor.*

*1. Quid sit  
 audire ver-  
 bum Dei.*

*Rom. 10. 17.  
 Gal. 5. 6.*



Quiduis enim istorum trium ad reprobationem sufficit. Nec mirum, verum est enim illud principium philosophorum. Bonum ex integra causa, malum vero ex quouis defectu prouenire. Quid vero est præstantius prædestinatione aut quid magis miserum reprobatione? Nihil equidem.

*8. Quid sit esse ex Deo. Rom. 8. 24. 1. Ioan. 3. 13. Ibid. 8. 8.*

Deinde explicandum est nobis, quid sit EX DEO esse, & explanandum ipsis Apostolorum verbis, quorum vnus inquit. *Quicumque spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei, alter vero, Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet.* De reprobis vero ibidem. *Omnis qui facit peccatum ex Diabolo est.* Itaque is EX DEO EST, qui est filius Dei, qui spiritu Dei agitur, qui semen Dei in se habet, qui non facit peccatum. Sensus igitur horum verborum est. QVI EX DEO EST, id est qui spiritu Dei agitur; spiritu autem Dei agitur, qui non peccat lethali ter; isq; VERBUM DEI AVDIT, tum credendo quæ verbum Dei docet; tum faciendo quæ præcipit. Ex qua thesi ad hypothese[m] deflectens Christus, è cõtrario sensu alloquitur aduersarios suos dicens. PROPTEREA VOS NON AVDITIS, hoc est neq; creditis, neq; obeditis verbo Dei. QVIA EX DEO NON ESTIS. Ex Deo autem non estis, quia ex patre Diabolo estis, sicut illis immediate ferè ante

*Ioan. 8. 44*



re ante hodiernum Euangelium ipse Christus edixerat. ex Diabolo vero erant D. Ioanne interprete, quia peccabant tum infidelitate, Messiam non recipiendo: tum impietate, auaritia, ambitioni, & aliis peccatis, quæ haud raro illis Christus exprobrat studendo. Peccabant autem voluntariè & nequiter, quia malitia & nequitia cor suum induraverunt, & excæcarunt, vt expressis verbis sapiens de illis testatur, cum ait. *Excæcauit enim illos malitia eorum.* Ista est totius reprobationis origo, hæc lacuna calamitatum.

*Et esse ex Diabolo.*

*Scaturigo reprobationis.*

*Sap. 2. 27.*

Quid vero ad Patres, qui verba hæc, de prædestinatis & reprobis interpretantur, dicemus? Duo respondebimus, iuxta duplicem signorum istorum firmitatem. Vtroque enim modo verum erit, quod dicunt sancti, tam de omnimoda illa, quæ nec fallitur, nec fallit vnquam, quam de dubia quadam certitudine. Aliqua tamen cum differentia. Nam si primo modo firmitatem sumas, in finali tantum quam vocant, auditione, vel non auditione verbi Dei, id locum habebit. Sicut enim verum est, & reprobos posse aliquando audire verbum D E I illis tribus modis, & prædestinatos posse ad tempus sic non audire: ita si vnus in audiendo, altero vero in non audiendo verbo Dei modo explicato per-

*3. Qui Patres intellegendis.*

*Duplex certitudo.*

*NOTA.*



perseuerauerit, usque in fidem, vitæ suæ; eorum, hunc quidem è reprobis, illam verò è prædestinatis esse penitus dubium non est. Quod si vero non tam firmam, quæ omnem excludit hæsitantiam in notis istis requirere certitudinem, tunc quod dicunt Patres, modis omnibus verum erit. Semper enim talis qualè descripsimus, auditio quidè prædestinationis, reiectio vero verbi Dei reiectionis à gloria æterna vestigium erit, tanto euidentius & certius, quanto ista in homine magis magisque roborabuntur. Idemq; de cæteris quæ recensimus signis, omnino intelligendum erit.

*4. Modus  
& finis  
notæ.*

Quare ut ad id, quod est præcipuum huius concionis deueniamus, sciendum est, nos de notis istis, hoc secundo præcipue acturos modo, nempe ut sint indicia quædam probabilia, quorum tamen certitudo ita crescit, ut tandem in extremis non dubia appareat. Finis autem & scopus noster est, ut in malis quidem, principiis obistamus, in bonis vero nos exercere, & augmentum sumere studeamus. Agemus porro de illis ordinem & ductum Euangelij hodierni sequentes. Cuius initium dicente Christo.

*1. MEMB.  
Nota reprobationis.  
PRIMA  
In peccatis  
esset.*

QUIS EX VOBIS ARGVET ME DE PECCATO? Primum dat nobis prædestinationis argumentum: sicut contrarium reprobationis est signum. De illo in reliquis  
con-



concionibus præsertim in vltima, de hoc in  
 ista agamus. Itaque si quis publicè tam enor-  
 miter viuat, vt & ipse dicere queat, & tota vi-  
 cinia testetur, nullum esse qui eum non ar-  
 guat de peccato; is signum hoc reprobatio-  
 nis se in anima gerere certo sibi persuadeat.  
 O quot sunt tales? qui tam patenter, tam  
 publicè peccant, vt nulla id tergiuersatione  
 negare possint. Et vero si quomodocun-  
 que peccare, & in peccando perseverare est  
 nota reprobationis: (caussa enim & ansa to-  
 tius reprobationis, solum peccatū est) quan-  
 to clarior erit, & publicè id agere, & insuper  
 de nequitia gloriari? Audistis ex me iam  
 non semel, & sæpius audire debetis, hoc po-  
 stemum Sodomitarum fuisse proprium,  
 clamante olim Propheta cōtra suos Iudæos,  
*Peccatū suum quasi s odoma predicauerunt, nec* *1/4.3.9*  
*absconderunt*: id ipsum clamo, & ego contra  
 meos Christianos. Num dubitat quispiam  
 Sodomitas fuisse è reprobatorum genere?  
 idem igitur de se ipso cogitet, qui eos imi-  
 tatur. Quare, vt in pauca rem conferam,  
 nota ista reprobationis tres gradus in se cō- *Eius tres*  
 tinet, quorum posteriores semper sunt pri- *gradus,*  
 oribus deteriores. Malum signum est re-  
 probationis peccare lethaliter, & in peccan-  
 do delectari, ac perseverare: at peius pu-  
 blicè, & palam id agere nec abscondere, pes-  
 simum autem etiam inde gloriari. Dices;



*Obiectio de  
hypocriſi.  
Reſponſum  
de impu-  
dentia,  
NOTA.  
Luc. 18. 2.*

Sed ego nolo peccando, & peccata diſſimulando, hypocritam agere. Neque ego hypocritam te eſſe cupio : at multo minus impudentem te eſſe volo, qualem deſcribit ipſe Saluator, ſub parabola impij iudicis, qui Deum non timebat & homines non reuerebatur: quem tu ſectaris, & contra ſcripturam, & cum magno tuo malo. An iam iam non audiſti, prophetam in magno vitio ponere, peccata nolle abſcondere? Peccatum ſane eſt hypocriſis, quam Chriſtus Ieſus ſapius in Phariſæis inſectatur: at multo maius eſt ſcelus, in ſcleribus impudentia, quæ non ſibi ſolum vt ſimulatio, ſed & aliis quos ſcandalizat, & in orbem protrudit, nocet plurimum. Inde cogita quæ te maneant ſupplicia, qui non tuam modo, ſed aliorum perdis animas, & cogitando, reſipiſce tandem miſer, ne in ipſam miſeriarum abyſſum incidas reprobationem.

*SECUN-  
DA Scri-  
tem odiſſe,  
Tales*

Cuius alterum eſt ſignum in ſequentibus illis Chriſti verbis. SI VERITATEM DICO, QVARE VOS NON CREDITIS MIHI? Is enim qui veritati illibenter, mendacio vero libenter credit, magnum reiectionis diuinæ in ſe gerit documentum. Cæterum quia ſignum iſtud, hæreticos in primis concernit, alteri illud, relinquamus concioni: Monitis interim cum aliis Catholicis, tū vero pseudopoliticis, vt ab hac nota valde ſibi caue-

*1. Hæretici.*

*2. Pseudo-  
politici.*



caueant, quia valde illos tangit, quod adeo probat experiētia, vt mirum sit dictu. Nonne vidimus eos aliquando, imo sæpe crassissimis mendaciis fidem adhibuisse, veritati vero eam denegasse? Quodq; multo est absurdius, etiam si ipsi postea animaduertent mendacia fuisse quibus crediderant, nihilominus nouis & inauditis; ab iisdē qui eos de ceperant confictis detractionibus iterum, atq; iterum aures accommodauerunt suas. Ista inquam non semel intuiti, ingemuimus super cæcitate hominum, qui cum maximè videntes videri velint, ipsū lumen naturæ, quod iis qui nos semel mēdaciis de ceperūt, fidem dare nō iubet, sequi nolunt; cum magno non solum ipsorummet, sed etiam aliorum, imo totius Reipublicæ detrimento. Vtinam vero vt hoc signum in se, ita in oculis eorum sit euident. Quid dicam de aliis quoque tam secularibus, quam Ecclesiasticis, qui turpis ambitionis, quæstusque causa, contra veritatem semper, contra cōscientiam vero propriā sæpe, malum bonum, bonum malū, falsum verum, verū falsum vocitāt. Lachrymis hæc potius quam oratione sunt persequenda. Vtinā illius saltem versiculi ipsi meminisse veliat. *Disperdet Dominus vniuersa labia dolosa, & linguam magniloquam.*

Tertia reprobationis nota est, refugere auditionem verbi Dei. Qua dere quia & alias, & nunc in principio non paucis egimus,

q 2

hic

*Contra omni-  
nem ratio-  
nem.*

*s. Alty & d.  
14. 1. 1.*

*Psalm. 11. 4.  
TERTIA  
Verbū Dei  
refugere.  
Cuius tres  
gradus.*



hic gradus tantum quosdam mali huius ex-  
 scriptura recensemus. Sunt vero tres. Pri-  
 mum notat ipse Deus sic loquens; ad Prophe-  
 tam. *Et veniunt ad te quasi si ingrediatur popu-  
 lus, & sedent coram te populus meus, & audiunt  
 sermones tuos, & non faciunt eos, quia in canti-  
 cum oris sui vertunt illos, & auaritiam suam se-  
 quitur cor eorum. Quam perbelle istos descri-  
 bit homines, qui licet in eo conueniant om-  
 nes, quia audiunt sermones Dei, & non faciunt  
 eos, nec obtemperant praeceptis diuinis, nec  
 explent ea, in modo tamen & causa discre-  
 pant. Audite quæso & attendite. num aliquid  
 tale in vobis reperiatur. Primi igitur sunt hy-  
 pocritæ, qui veniunt ad conciones, & ad col-  
 loquia spiritualia, quasi si ingrediatur populus,  
 additus Deo, & sedent, & audiunt, imo ap-  
 probant, & laudant vniuersa, vt arbitreris esse  
 illos sanctissimos mädatorum Dei observa-  
 tores. Alij in canticum oris sui vertunt illos, ser-  
 mones videlicet, quos tu Dei nomine ad il-  
 los habes. Periculosum sane genus hominũ,  
 vt ipsa docet experientia. Quare? Quia om-  
 nia quæ siue in concionibus, siue ab alijs pijs  
 hominibus, ex doctrina Apostolica, ex libel-  
 lis pijs, ex vitis Sanctorum Patrum audiunt,  
 in canticum oris sui, in iocum, in aulicisum,  
 vertunt, peruertunt, elidunt, contempnunt. O  
 quantus taliũ numerus præsertim in domi-  
 bus regum, principum, vtinam non etiã Ec-  
 clesia-*

*Ex eccl. 33.*  
*81.*

*Non fa-  
 cientium.*

*Causa.*  
*Hypocritis.*

*801.*



elestificorum. O quam ut corrigantur sunt  
difficiles. Nec minus illi quos ultimis per-  
stringit verbis dicens, *auaritiā suā sequitur*  
*cor eorum.* Certe in usurariis, & aliis, qui ini- *Peccata.*  
quis laborant contractibus, tam id est eui-  
dens, quam quod maximè. Huc spectāt, qui  
siue concupiscentia carnis, siue superbia vite  
irretiti idem agunt, Nec nō illi qui pios ser- *Indignatio*  
mōnes in mensis, aut aliis locis, vel iisdem e-  
ludunt artibus, vel interrumpunt, imo ferūt  
ægerimè. Nec mirum: timēt enim ne pun-  
gantur, cum exoptare id potius debuissent.  
Felix enim est punctio, quæ compunctio-  
nem in nobis generare potest.

Aliud non audientium verbum Dei ge- *2. Non au-*  
nus describit nobis Iob illis verbis. *Qui dix-*  
*erunt Deo. Recede à nobis, & scientiam viarum*  
*tuarum nolumus,* quos peiores esse prioribus,  
proinde certius reprobationis signum gere-  
re, non est qui non videat. Eiusmodi vero  
sunt, qui loquentem sibi Deum, per os ser-  
uorum suorum, non audiunt, sed ab illo ab-  
eunt, quia scire vias Domini nolunt, quia li-  
bere, & sine remorsu cōscientiæ peccare vo-  
lunt, qui aut Deum à se recedere iubent, aut  
ipsi inde se proripiunt. Eiusmodi inquam *Exempla.*  
sunt, quorum teste Apostolo, *Deus venter est,* *Psal. 3. 19.*  
siue venter Deus, Deus autem ipse eiusq; re-  
ligio, iocus: quibus domus epularum, & cō-  
potationū, templum; templum vero ipsum  
q 3      carcer



carcer est, quibus audire detractiones, scurrilitates, turpiloquia, decem integris horis, deliciae; adesse vero praedicationi verbi divini, exigua horula, tormentum est maximum: idcirco si illi adesse, vel à potentiorebus, vel alio modo coguntur, aut murmurant, aut concionatorem taxant, aut si quieti sunt, & in cōcione tanguntur, palmo altius à scāno eleuantur. Nonne id vidimus aliquādo?

*3. Alios abstrahentium pessimus.*

Denique si isti quorum tibi typum dedimus mali sunt, ut certè sunt nequā; quales erunt, qui non solum ipsi, ne audiant verbum Dei abeunt, sed etiam alios abigunt, & ab auditione verbi abstrahunt, iocis, sannis, mercaturis, deambulationibus, tabernis, aliisque modis innumeris? Nōne sicut Paulus quoddam delicti genus, *peccās peccatum* vocat, ita nos istos reprobatis reprobatores nūcupare poterimus? Tales fuerunt isti in Euangelio Iudæi, qui plebē ab auditione verbi Dei absterrebant: tales qui illos imitantur, qui sibi illud dictum putent, **PROPTEREA VOS NON AUDITIS**, imo vero ab auditione etiam alios arcetis, **QUIA EX DEO NON ESTIS**, ideoq; ex Diabolo estis. Fœdissima profecto Sathanæ instrumēta. Porro quod ad ordinem signorum istorum trium reprobationis capitum attinet; sciēdum est, ita ea Christum Dominum concinnasse, ut semper succedant clariora. (quorum tamen penè singula nos in

*Ordo interpres istas reprobationis vocas. & simili.*

ternas



ternas species eodem ordine subdivisimus) sicut enim mortis temporanea magnum est prognosticum malorum humorum eoacervationatio; maius per esum ciborum nocivorum, eorum augmentatio, maximum vero cum quis abundans istis omnem medicinam recusat: ita mortis aeternae seu reprobationis, argumentum magnum est peccatorum praesertim publicorum multitudo, maius illorum per mendacium nutritio, quod fit, cum quis falsitate veritatis loco, malo pro bono utitur; maximum vero, verbi Dei, in quo vis & virtus omnis curationis consistit repulsiō, Hæc intelligens curam quilibet sui gerat, ne sero medicina paretur. Sed iam ad alia transeamus.

Quarta itaq; reprobationis nota colligitur, ex dictis factisq; ludæorum istorum, qui Christi sermonibus cōstricti, ad calumnias, & conuitia se conuertunt. NONNE BENE DICIMVS NOS, QVIA SAMARITANVS ES TV, ET DÆMONIVM HABES? aiunt isti, imitantur nostri, non minus quam illi, & insipienter & blasphemè. Insipientes sunt Iudæi, quia ad rem non respondent quicquam. Quid enim hæc ad proposita à Christo Iesu? Prouocat ille aduersarios suos, vt conuincant illum alicuius peccati: quid illi? NONNE BENE DICIMVS NOS, QVIA SAMARITANVS ES TV, ET DÆMONIVM

*QV AR.*  
*TA Inepti*  
*re, calum-*  
*nari, &*  
*blasphemare*

*Ita Iudæi,*



HABES. At nō dicere, & obstrepere, sed probare oportebat, & arguere conuincēdo. Pridem vos hæc asseritis (licet in scriptura tam clare id non habeatur) sed mentiendo in caput vestrum; proinde non BENE sed male & scelestè dicitis. Vt interim taceam hæc etiā si vera essent, ad rem tamen non pertinere. Nā & Samaritani & dæmone obsessi, viri fideles, & pij esse possunt. Præterea dixerat IESVS. SI VERITATEM DICO QVARE NON CREDITIS MIHI? Illi autem non solum veritatem non recipiunt, sed etiam mendacia multiplicant, adduntque probationis loco blasphemias, ne quid ad eumulū impietatis desit. Quæ enim blasphemia tetrior, quā illum qui Deus erat, dæmonium habere affirmare? Istos vt dixi nostri egregiè imitantur. Qui nostri? Ij qui licet vocari velint Christiani: tamen, alij quidem factis, alij vero etiam dictis, doctrinaque ipsa Christum abnegant, & blasphemant: illi mali sunt Catholici, isti vero sunt heretici, de quib. suo loco in sequenti concione agemus, iam vero priores intueamur. Nec omnes sed illos tantum, quibuscum nunc nobis maxima concertatio; illos inquam, qui in desperationem acti, vt absque vllō remorse conscientia scelera quam plurima patrare queant, altissimo prædestinationis, & reprobationis mysterio se contegunt, illud dilemma  
semper

*Sic nostri.*



semper in ore gestantes. Ait enim qui hu-  
 ius est farina. Me autem prædestinatorum, aut  
 est reprobatorum oportet esse numero. Si  
 sum prædestinatus, quicquid agam, & quo-  
 quo viuum modo, saluabor nihilominus: si  
 vero inter reiectos à Deo computor, omni-  
 no condemnabor ab eo, qui omnia facit  
 prout vult, & omnium quæ in mundo a-  
 guntur, causa est primaria. Hæc istorum est  
 oratio, qua alii occulte, alii palam authorem  
 peccati faciunt Deum, cui non minus re-  
 pugnat facere malum (quod solum est pec-  
 catum) quam ipsum esse malum. Oratio  
 qua & propriam & aliorum, quos in suam  
 pertrahere conantur homines scelestissimi  
 sententiam, inquietam quietare volunt cõ-  
 scientiam. Oratio inquam & fatua & bla-  
 sphema; quod Christo propitio demonstra-  
 uero, quando istas quas suggerente diabolo  
 contexerunt, araneorum telas, paulo post  
 dissecero, iam vero alia reprobationis signa  
 quæ in Euangelio reperiuntur, prosequa-  
 mur.

Quintam itaque reprobationis notam,  
 dant nobis verba illa Christi Iesu. VOS IN  
 HONORASTIS ME. EGO AUTEM NON  
 QUÆRO GLORIAM MEAM. Omnis e-  
 nim qui non Dei & Christi, sed suam quæ-  
 rit gloriam, & se honorando Iesum inho-  
 norat, & magnum stigma reprobationis si-

q 5

bi

*Dilemma  
impium.**Deo repu-  
gnat pecca-  
re.**QVINTA  
Iesum non  
Dei honorẽ  
querere Ta-  
les.  
Iudæi re-  
sistit Christo.*



bi inurit. Quo teste? Ipso filio Dei, qui reprobationis Iudæorum hoc signum ponit, hic quidem paulo abstrusius, alibi vero clare, quando eisdem suos aduersarios his alloquitur verbis. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est non queritis?* Cum ergo certum sit ex D. Paulo quidem, *sine fide impossibile esse placere Deo*: ex aliis vero scripturis & ipsa ratione constat, eos, qui reprobantur non placere Deo: Certum quoque erit causam cur Iudæi à Christo fuerint reiecti fuisse appetitum nimium & inordinatū promouendi gloriam & honorem proprium, et cū dispēdio honoris & gloriæ Dei. Talis fuit Saul, qui dum negligit gloriam Dei, non explendo quod illi per Samuelem præceperat Deus, interim tñ quærit gloriam suam. Hinc illa ipsius verba ad Samuelem. *Sed nunc honorate me coram senioribus populi mei, & coram Israel.* O quot tales sunt in mundo! O quot inter ipsos Christianos! Tu Christe qui omnia in numero habes, nosti numerum istorum, ambitiosorum inquam omnis generis, status, & conditionis, qui ne tantillum illis ex honore decedat proprio, non tantilla, sed ingentia aliquando, aut committunt, aut permittunt scelera: alii vindictas, indeq; detractiones, percussiones, caedes patrandò, alii mēsas opiparas pœne quotidie adornādo, ac

*Joan. 5. 44.  
Ioh. 1. 6.*

*1. Reg. 15.  
2. Saul te-  
ste scriptu-  
ra.*

*Ibid. 8. 30.*

*3. Nostra  
ambitiosi  
esse expe-  
rientia.  
Quorum  
varia gene-  
ra.  
NOTA.*

in-



ingluuiem & ebrietatem promouendo, alii in luxu famulorum, equorum, curruū, vestium, aularum, hisq; similibus, & sua, & aliorum quos bonis spoliant, & ipsius Christi patrimonia consumunt & dilapidant, atque in hisce vanitatibus *gloriam ab inuicem*, quarunt, referunt, ac aliis se praferunt, splendidiore, & preciosiore in dies singulos excogitantes & multiplicantes; *gloriam* autem tamquam à solo Deo est, & in charitate, humilitate, castitate, temperantia, ac aliis virtutibus consistit, nihili penitus aestimant: tum quae solius Dei est, & tam in decore domus ipsius, quam in alendis visitandisque miseris, & pauperibus; in quibus se esse Christus testatur, sita est, nec volunt, nec amant, nec procurant, licet multi illorum multum sint ad id faciendum obligati. Videant qui in hoc haerent luto, in quanto & animas perdendi, & supplicia aeterna sustinendi periculo seipso constituant.

Sextam reprobationis notam ostendunt nobis Iudaei isti, tum in calumniis suis perleuerantes: tum omnia Christi dicta malitiose interpretantes. Cur enim videntes tantam Christi indictis factisque constantiam, ut ne de minimo quidem mendacio, aut alio peccato eum arguere possent; audientes etiam tam eximia promissa, de morte non videntur  
da IN AETERNVM, non conclusorunt

## SEXTA

*Malitia  
qua bona  
etiam de-  
prauat.  
Ita Iudaei  
in Euange-  
lio.*



runt illū ipsum esse Messiam, qui olim promissus fuit, qui que & Abrahamo & omnibus Prophetis maior esse debuit, sed contrariū potius? Ratio nulla est alia, nisi quod ex reproborum essent numero, quorum inter alia id quoque proprium est, omnia, in malam trahere partem, & cum alios tum vero doctores & instructores suos, qui eis bene volunt, eorumque salutem quærunt (ut Christus istorum quærebat) canino dente proscindere, & dicta factaque illorum etiā optima carpere, & sugillare. Considerent obsecro qui eiusmodi sunt, & quos antesignanos habeant, & quæ poenæ etiam temporales illos maneant. Quis scit, an non illæ ipsæ quæ Iudæos istos afflixerunt, qui & regnum, & sacerdotium, & facultates, & corpus, & famam, & ipsam perdiderunt animā? Minimi id imo nihili fit ab iis qui huic sunt obnoxii malo: at ex maximis esse reprobationis signis, exemplo infirmi in corpore patet. Sicut enim si videas cuiquam ægro in corpore, non solum alios cibos, sed etiam ipsas medicinas verti in venenum, iudicas desperatæ illum esse valetudinis. Sic de ægro huiusmodi in anima, qui tum exhortationes, tum exempla sancta, tum omnia quæ audit, videtue à piis etiam in ipsius utilitatē fieri bona, in malum cōuertit, eadem tua sit de salute animæ ipsius censura.

Postre-

*Ita quidā  
Christiani.*

*Pena.*

*Gravitas  
et similia.*



Postremam reprobationis notam afferunt nobis iidem aduersarii Christi, non iâ verbis, sed factis & lapidibus ipsis. Dicitur enim. **TVLERVNT ERGO LAPIDES VT IACERENT** in eum. Hæc istorum est suprema vesania, doctores videlicet suos, non linguis tantum proscindere, sed etiâ ne illis sint ampli<sup>o</sup> molesti, è medio tollere velle. Audiuimus vocem istorum in sapientia, intelleximus desiderium illorum, in historia hodierna, vidimus executionem longe hodierna terribiliorem: quando hunc ipsum Iesum doctorem & benefactorem suum morte turpissima cõdemnarunt, cruci eum affigentes. Quod quodammodo innumeris seruis Christi fecerint tam Iudæi, quam gentiles, sanctorum testantur historia. At forte id signi non reperitur inter Catholicos? Vtinam vero absit: sed quot sunt quæso qui eos, qui salutem ipsorum procurant, si ferro & igne aut nequeunt aut erubescunt, è vita consiliis & artibus suis pessimis è medio tam sui quam aliorum tollere student? Ingens nefas & reprobi animi signum euident, cû quis ne ex annunciatione veritatis molestiâ patiat, non suæ modo, sed & aliorum plurimorum animæ adferre detrimentum nil veretur. Dices fuisse olim tyrannos, qui multos prædicatores verbi Dei mactarunt:

&amp;

SEPTI.

*M. A. Benob  
è medio tollere.**Sic Iudæi,**Sap. 2. 12o**Sic quidam  
etiam Ca-  
tholici.*



& tamen ipsi postea conuersi, sancta sua vita & morte demonstrarunt, se non ex reprobatorum sed ex prædestinatorum fuisse numero. Crede mihi pauciores fuisse eiusmodi, quam tu tibi imaginaris. Et quod caput est, illi cum aut Ethnici aut Iudæi, aut alterius religionis essent, putabant se bene agere (vt in Paulo patet) persecutando Christianos: at tu qui talia patras, cum Catholicum te esse profitearis, ignorantia certe excusari minime poteris. Denique iam dixi signa ista reprobationis, non esse talia quæ exceptionem non patiantur: sunt tamen eiusmodi, quæ viro prudenti, & vel solam rationem ducem sequenti, maximum timorem incutere, & ad pœnitentiam cor ipsius impellere possint. Faxit Christus Iesus. Qui quidem saluator si paucis quibusdam extraordinarias confert gratias, non est quod multi id trahant in exemplum & sibi applicent: sed est quod viam ordinariam serio amplectantur, ne sero eos facti pœniteat. Ista sunt notæ reprobationis ex Euangelio hodierno, quibus vnã adiungo ex dictis: & vereor ne istud sit omnium signorum reprobationis funestissimum. Dilemma videlicet illud, quod recensui, & murmur contra Deum. Cur enim eo nullus pius vitur, sed tantum illi, qui & nequi-

*Solutio 1.*

2.

3.

*Timor &  
pœnitentia*

*OCTA.  
Vã impia  
arguentia  
suis.*



nequiter viuunt, & in nequitia sua perseuerare aliosq; in ficere volunt? Documentum igitur est hoc radicata malitia, ista vero reprobationis.

Verum ad dissoluendas istorum technas, & voces impias iam deueniamus, quod ut præstemus commodius, quæ apud illos cõfusa sunt ( id enim sophistarum est propriũ) in ordinem in primis redigenda erunt. Itaq; ex illo suo dilemmate; si prædestinatus sum, omnino saluabor; si reprobatus absque dubio condemnabor; quatuor quantũ video, inter alias formant sibi consequentias, quarum posteriores semper sunt prioribus & ineptiores, & nequiores Referamus & simul refutemus eas per ordinem. Prima est. ERGO, si sum prædestinatus, quicquid agam, etiam si nequissime viam, salutem tamen obtinebo æternam; ait iste, & inepte & fallaciter. Et falsitas quidem patet. Mendacissimum est enim, si male ad finem vsque vitæ vixeris te è prædestinatis esse. Idcirco non quicquid egeris, sed si bene egeris saluaberis, si vero male statim præforibus peccatum tuum aderit, ut ad primum reprobatum ait ipse Deus ore suo. Ad Iudæos vero istos inquit Christus. Quo ego vado vos non potestis venire, ac si vno dicat verbo, reprobamini. Causamq; assignat, quia in peccato vestro moriemini. Quare si idẽ tibi q̃ hisce eucne-

III. MEM-  
BRVM  
Occurrit  
obiectis  
istorum  
Dilemma  
in de nequã  
consequen-  
tia qua-  
tuor.

PRIMA  
Saluabor  
male & in-  
mendax.  
1. Exempla  
primi re-  
probati.

Gen. 4. 7.

Ioan. 8. 21.  
2. 1. daorã  
istorum.



*Occurritur  
responsis &  
NOTA.*

euenerit, certissimo condemnaberis. Dices. Falletur ergo diuina præordinatio. Minime vero, sed tu falleris in tua inepta fallacia. Dens enim ab æterno & præuidit & præordinauit, ut quicumque in læthali peccato mortuus fuerit, reprobetur. At ego inquis si prædestinatus sum, mori in peccato non possum. Imo vero si male in finem vixeris, in peccatis morieris, & non ex prædestinatorum, sed ex reprobatorum numero, eris. Audi quid idem Saluator, in hoc ipso capite ait, ad eosdem qui ei hic resistebant *Dico ergo vobis* (nempe vos quo ego vado non peruenturos, ideoque reprobaturum iri) *quia moriemini in peccato vestro, si enim non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro.* Quam pulchre! quam exacte; quam breuibus verbis totam notauit materiam. Notauit inquam: tum causam propriam reprobationis, quæ nulla est alia præter peccatum. Si enim peccatum non fuisset, neq; reprobatio fuisset: tum proximam, quæ est mori in peccato: tum fontem vnde id proueniat, ex libertate videlicet arbitrii humani. Ideo dicit, *si non credideritis*, per particulam, *si*, docens illos, quod si voluissent credere potuissent. Verum quia præuidit illos non credituros, idcirco e reprobatorum eos esse numero, libere prænunciat. Quod ne tibi quoque eueniat perhorresce, ac proinde non

*Ibid. §. 24.  
Ordinem  
totius repro-  
bationis.*

sicut



sicut vis nequiter, sed sicut expedit sancte viuas, alias mendacis tuæ consequentiæ æternum pœnas lues. Audisne?

Demonstravi primæ huius tuæ consecutionis falsitatem, cape iam eiusdem ineptitudinem, & vt melius capias, accipe similitudines, vel exempla potius; quæ in vsu sunt quotidiano. Dic quæso. Nonne quæ Deus præuidit & præordinauit, circa victû, vestitum, habitationem aliasq; tuas necessitates; nec non circa officia, beneficia, sanitatē, vitamq; ipsam; cuncta hæc tibi per ordinē proluent? Ita sane. Neq; tu si Christianus es quicquam de hac re dubitabis. Cur ergo ea quæ ad hæc conducunt, & non his contraria potius operaris? Cur cum manducandû est nō deambulas, sicut cū saluari debeas scelera patras? Cur cū necessaria tibi, liberis, familiarique tuæ paranda sunt, non dormis? Cur cum instat in prælio hostis, tu retro non aspicias? Cur quando alicuius siue secularis, siue spiritualis beneficii adipiscendi sese offert occasio, non solû ad eos, qui tibi id concedere, sed etiam ad illos, qui intercedere, pro te possunt, noctu atq; interdium discurris, & non potius contrarium his agis, eos nihili faciendo, illosq; toruē aspiciendo. Cur quando ægrotas, chirurgos, medicos, & quotquot vel scis, vel suspicaris opē tibi ferre posse, non solû e Ciuitate, sed et ex vicinia tota

*Vesana.*

*Multis ab  
exemplis  
qua.*

*NOTA.  
quæso.*



*Respōsum  
nobis fauet.*

conuocas magno nonnunquam precio? cū certo scias hæc vniuersa non aliter tibi obuentura, quã à Deo præordinata fuere? Respondebis fortassis, propterea te hæc agere, quia Deus vult suarū cooperationē creaturarū, & quia speras hæc tibi p̄futura, Ego vero quid! Obstupeſco & inclamo. Quid hoc rei p̄ Deū immortalē, ad vilissima quæq; quorū multa sunt nobis cū brutis animalib. cōmunia, vult Deus vt cū ipſo laboremus, & nisi id agamus, vult vt reb. illis priuemur: ad illa vero quæ tū ad honorē ipſius, tū ad animæ nostræ salutē spectant, non vult nos adiutores.

*1. Cor. 3. 9.*

(cōtra apertū D. Pauli testimoniū) suos esse imo etsi nos salutē cōtraria agamus, p̄ſi habet nihil, sed saluabit nos nihilominus? O vesania hominū quo deuenisti, cū tuis argutis! Quanto fatius & verius, sic cōcluderes, sicut si non comedero, si medicū non adhibuero, viuere non pōtero, si vero vtrumq; p̄ſtitero, forte superstes ero: ita si impie vixero, certissime vita æterna priuabor, si autem opera bona egero spero me saluatum iri. Faciam igitur, sicut illud, ita hoc quoque. Utinam.

*SECUN-*

*DA Conde-  
mnandus  
maleſi-  
nam.*

*Vesania ab  
exemplo si-  
mili.*

Secunda istorū consequentia est illa. Ergo si reprobatus, ideoq; condēnandus sum, voluptati dabo operā, quid n. iuuat me bene viuere? Respōdeo breuissime, hanc et nō minus quã priorē, & vesanā & mendacem esse. Sicut n. nihil potest esse ament. us illo

*omi-*



homine, qui cum ignoret an eo loco in quo est, ab hostib. suis capitalib. capietur, vltro se in manus illorū iniicit, vitaq; priuatur: ita pfecto nihil vel excogitari pōt stultius eo, qui cū nesciat si tñe reprobatus, dæmonibusq; tradendus, vt ab iis in æternū crucietur, ipse pessimis operib. suis facit, vt vtrumq; ei proueniat. Fallitas vero rū ex iā dictis, tū ex illo *Mendax.* quod inquit nihil attinere, si ex reprobatis est bene vt viuat, euidenter apparet. Nam etiam si scires te condemnandum, deberes tñ in bonis operib. te exercere, vt hac saltē ratione effugeres multitudinē peccatorū, ac proinde grauiores pœnas inferni: quæ certissime tanto crudeliores erunt, quāto plura in te reperientur scelera. Suadeo itaq; bonis vt operibus, tempus redimas, si nō Christi, tui saltem amoris causa: hancque aptam facias consequentiam. Nescio an condemnabor, faciam igitur vel ne damner, vel vt leuius damner.

Tertia istorū consequentia, ex his duab. *TERTIA* quasi conflata, est eiusmodi. Ergo, quocūq; *conflatur à* modo se res habeat, indulgēdū est genio, vī *duobus.* dicādi, & maciādi sunt inimici, puniēdi masculoli, vacandū voluptatib. omnesq; ppulsandæ molestiæ, deniq; diuitiæ, siue p fas, siue per nefas colligendæ, vt posterī habeant quib. oblectētur. Quid n. impedit quomin⁹ hæc agā vniuersa? Nō equidē prædestinatio, *quia*



*Congeries  
nequitiarum.*

quia hæc est tales saluat: non reprobatio, ista  
n. etiam sancte viuētes damnat. Quanta in-  
eptiarum, falsitatum, blasphemiarū, ab ipso  
diabolo excogitatarum cōgeries. Quam in-  
genis scopulus, ad quem tot incauti nauē a-  
nimæ suæ allidētes, naufragium in hoc mari  
magno passi facti sunt esca belluarum infer-  
nalium. O calamitas! Hæc tu si lapis fuge.  
Effugies autem, si quæ iam dicta sunt dili-  
genter ponderabis, & remedia adhibebis.  
Duo dictis addo, nempe responsum & quæ-  
situm. Petis tu, quid vetet ne impie viuas?

*Responsum.*

Respondeo ego prohibet tū prædestinatio,  
tum ipsa reprobatio, ut iā deduximus. Pro-  
hibet præterea ipse author naturæ Deus, ne  
talia, qualia moliris agas. Prohibet denique lu-  
men ipsum naturæ, quo ab infantia signatus  
es, ne Sophistam agas, ne volens delires, ne  
Deum blasphemēs, quod facis cum inquis,  
illum impios quidē prædestinare, sancte au-  
tem viuētes reprobare. Hæc ad tua respō-  
deo, iam mea ingero, & quæro ex te vicissim:

*Quæsitū.*

Visne saluari? Volo inquis, nisi n. id dicerēs,  
nec homo quidem esses. Subiungo quæ est  
ergo tua suprema dementia, si quidē saluari  
vis, media saluti contraria eligere? An igno-  
ras ea quæ enumerasti, & quæuis peccata  
mortifera, saluti esse contraria? Audi de par-  
te illorum dicentem Paulum. Nolite errare  
Neque fornicarii, neque idolis seruientes, neque  
adul.

2. Cor. 6. 9.



adulteri, neque molles, neque masculorum cōcu-  
bitores, neque fures, neq; auari, neq; ebriosi, neq;  
maledici, neq; rapaces regnum Dei possidebunt:  
qui vero regnum Dei nō possidebunt, pro-  
fecto non saluabuntur vnquam. Dic si vi-  
deres læthaliter infirmum vorantem, potā-  
tem, facientem omnia quæ morbum ipsius *A simili*  
promouere possunt, nonne & stultissimū &  
desperatę salutis eum esse diceres? tibi igitur *Duplex de-  
peratio.*  
id respectu animæ tuæ applica. Sed ego ais  
non despero, quinimo carnem meam alo  
delicatissime. Noui te id agere, proinde ca-  
rere illa desperationis specie, qua non caruit  
& Achitophel in veteri, & Iudas in nouo te-  
stamento, quorum vterque laqueo se suspē-  
dit: at velim te quoque nosse in ipsa scriptu-  
ra duplicem reperiri desperationem: alte-  
ram iam explicatam & notam omnibus, al-  
teram multis incognitam, quam Paulus A-  
postolus, non subobscurę sed clarissimis  
explicuit verbis, sic de talibus, qualis tu es  
loquens hominibus. *Qui desperantes semet- Ephes. 4. 19*  
ipsos tradiderunt impudicitia, in operationem  
immunditię omnis, in auaritiā. Ecce lernam  
omnium malorum, ecce originem istarum *Lerna ma-  
lorum.*  
& similiarum argutarum, tricarum, replica-  
rum. Desperatio, desperatio inquam est  
fons, omnium istorum sermonum, & con-  
sequentiarum, & stulticiarum, quas miseri i-  
sti in-



si incurrunt, & per eas ad infernū currunt, multosq; proh dolor, eo secum pertrahunt.

*QUAR-  
TA Bla-  
phema.*

Quarta deniq; istorum consequentia est ERGO. Deus est causa & origo sicut salutis, ita & interitus omnium, sicut conuersionis Pauli, ita suspēdii Iudæ. Quid igitur oportet me multum de his laborare, & sollicitum esse? En tibi scelestissimarum cauillationū corollarium, en scopum quo Lucifer infernalis collimabat, nempe plenis buccis Deum blasphemare. Quod facit primū quidē per hæreticos, qui authorē peccati faciunt Deū, & pessimā suam culpā in optimū coniciūt. Deinde per eos, qui has quas recēsuimus repererunt fallacias. Quibus plene respondēdi hīc locus non est. Quare vnū tm̄ commune,

*Ezech. 33.*

*2.*

*NOTA.  
Exemplum  
declarans  
Deum non  
esse causam  
peccati.*

sed conforme scripturæ sacræ pono exemplum. Sit speculator in turri positus, qui videt & te aduentantem, & præcipitium ante se positum, in quod tu incaute ambulans cadis, & crus frangis. Quis quæso huius mali tui causa fuit, nū speculator? Minime, sed tua incauta ambulatio. Quid si in super speculator clamet, moneat, tibi vt ab illo præcipitio caueas: tu vero hæc audiens nihil curas, nūquid non obstinata proteruia, & pertinacia sua, mali tui causa fuit? Sic omnino toto cælo terraq; teste. Jam veni mecum, & ostendā tibi ita se rem hīc habere, Videt dubio protul Deus casum tuum, & vidit ab æterno, sed

&



& monuit, monetq; quotidie, tum per se, tū per remorsum conscientię tuę, tum per seruos suos, vt caueas luxuriam, ebrietatē, furta, rapinas, odia hisq; similia mala, quę fossę sunt profundissimę, & portę ac aditus ad infernales caueas, vbi non erus modo committitur, sed totus homo in æternum vritur. Hęc inquam, facit Deus: tu vero ista omnia contemnens, vltro citroq; in vitia ruis, & adhuc blasphema lingua tua audes Deum casus tui auctorem constituere? At aliter se hęc res habet inquis. Speculator enim ille non me trudit in illud præcipitium, quod hic facit Deus. In quod præcipitium te trudit Deus? Dic quæso? An in peccatum? Sed hoc mendacissimum est, clamante scriptura. *Perditio tua Israel*: clamante ratione & experientia. Quomodo enim intrudet, qui & monet & præcipit vt peccata fugias! Perditio ergo à te est homo perditus, qui perdit res temporales amans Deum propter illas offendere non vereris. An vero per præcipitium infernum intelligis? Et hoc quidem verum est, te eo nisi resipiscas protrudendum, iubente Deo: verum hoc malum non est, sed est veri mali quod tu patraisti pœna iustissima. Quo teste? Te ipso & mundo vniuerso, qui probat, approbat, laudat tum patrem percutientem filium qui culpa sua è scalis cecidit, tum præceptorem

*Occurritur  
responsioni:  
Malum de  
plex.*

*Os. 13. 9.  
1. Peccatū  
serum ma-  
lum.  
2. Pœna ef-  
fectus pec-  
cati.*

*Ab exem-  
plis simila-  
bus.*



petulantes, & inobedientes discipulos castigantem, tum magistratus carcere, flagris, cruce, gladio, igne, modisq; aliis punientes excessus subditorum. Quod ergo laudas in creatura respectu alterius creaturæ: qua fronte vituperas in creatore, qui innumeris modis, plus iuris ad id faciendum habet? Itaque & punit grauius, quia grauis ipse, & æternum, quia culpa in æternum committitur.

*IV. MEM.  
Remedia.*

*1. Contraria dictis Sathana in promptu habere.*

*2. Tim. 2. 4.*

Quare placeat tibi admonitio mea, Dei vero imperium, vt postpositis argutiis, cauillis & blasphemis istis, nec postpositis modo, sed etiam pœnitentia bene castigatis, meliora in eas consilia, & argumentandi modos. Dic insipienti cogitationi tuæ, vel dæmoni potius murmuranti, te ex reproborum esse numero: tu vero vnde hoc nosti, quod nescio an vlli vnquam reuelatum fuit? præsertim cum ego è contrario legam. Deum omnes homines saluos fieri velle? Dic suggerenti tibi, si prædestinatus es saluaberis, epulare igitur. O quam scelestus es? Hæcine ego pro tanto beneficio, quo nullum maius est reddam Deo benefactori meo, vt illum volens sciensque offendam? Absit tanta à me ingratitude. Dic pro vtraque parte. Si prædestinatus sum vt ergo remediis ad prædestinationem necessariis, quæ non sunt alia præter fidem veram

&



& bona opera: si vero reprobatus sum; factam quod ille iuuenis, qui cum audierat à  
 maestissimo patre suo spiritali, cui multis  
 annis in eremo fidelissimè seruièrat, se ex re-  
 probatorum esse numero. Quid fecit? Pri-  
 mum suam diuinæ conformauit voluntati.  
 Deinde professus est se nunquam commodi  
 sui, siue etiã eternæ gloriæ causa Christo ser-  
 uiuisse, sed quia dignus esset Deus cui ab ho-  
 mine seruiatur. Postremo petiit à sene, vt  
 illi impetraret hîc vitam longissimam, cau-  
 samque adiunxit, vt cum inquit non liceat  
 in altera vita, hic saltè in terris existēs, per-  
 quam longissimè Deum amare possim. O  
 virum perfectissimum. O debellatorem Sa-  
 thanæ præstantissimum. Hunc igitur tu  
 quoque imitare, nec tui sed Christi amore,  
 vt ille, id facias tanto ardentius, quanto mi-  
 nus tibi constat, te ex reprobatorum esse  
 numero. Id enim vt dixi nescio, an vnquam  
 alicui, ante tempus mortis reueletur. Nam  
 & hæc quam audisti senis admonitio, non  
 ex Dei reuelatione, sed ex dæmonis illusionem  
 profecta erat. Cuius tamen suggestionis Sa-  
 than, grauissimas luit pœnas, quando videns  
 iuuenem istum plurimum illo heroico actu  
 sibi commeruisse, valde afflictus fuit; idem  
 etiam diabolo respectu tui, si tu voles eue-  
 niat. Adde porro & alia remedia, quæ & in  
 Euangelio, & in decursu concionis habuisti.

r 5

Nempe

*In Viris  
SS. PP.**Historia  
miranda  
S. Simplicii.**2. Summã  
dilectorum in  
Euangelio,  
& concionis  
excipi.*



Nempe viuas vt possis dicere verè, QVIS EX VOBIS ARGVET ME DE PECCATO. mortifero post conuersionem commissio? ama veritatem, mendacium odi, verbum Dei audi, & libenter & diligenter, & ad idem faciendum alios quos potes inuita, Christi non tuam quære gloriam, caue cauillari, & calumniari alios, caue infectari docentes te, caue è medio tollere salutem tuam quærentes, caue ne Deum blasphemes, & impias formes consequentias. Præterea ne imiteris stultos illos aulicos, qui identidem percontantur an sint regi gratiosi, & interim faciunt omnia regi contraria: ita tu ne stultè disputes, vel curiosè, & inutiliter perquiras, an sis ex reprobatorum numero, sed da operam ne sis. Id vero fiet si audieris Paulum Apostolum de hoc ipso negotio sic loquentem. *Si quis ergo emundauerit se ab istis, erit vti in honorem sanctificatum, & vtile Domino, ad omne opus bonum paratum.* Tu itaque emunda te à sermonibus istis nequam, & ab aliis vitiis, & fac opus bonum perseveranter. Denique cogita tres gradus istos rationum cur te oporteat bene viuere. Primum quod etiam si scires, te esse reprobatum, deberes tamè sanctè viuere, vel Christi, vt ille iuuenis, vel saltem tui causa, ne grauius puniaris in æternum: secundo, multo magis cum ignores an sis ex reprobatorum numero, debes

*8. Non quære sed facere ne sis reprobatus.*

*2. Tim. 2. 21*

*4. Considerare tres gradus.*

facere



facere ne sis : tertio maximè quia tibi ex scriptura contrarium constat, nempe te si bene vixeris saluatum iri, à Salvatore, qui omnes homines vult saluos fieri. (ergo & te) *1. Tim. 2.4.* qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus in æternum, Amen.



## CONCIO II.

## FIDES.

EVANGELIUM ET  
SIGNA  
ECCLESIAE AG-  
SYNA-  
GOGAE.  
*Cur id hic  
agatur.*

EST mihi animus contextum quem au- didistis Evangelij vobis mihi in Christo charissimis, die hodierna membratim & referre, & explanare; eo quod instituto nostro id seruiat plurimum. Etenim sicut Ecclesiae Dei, ipse auctor, conseruator, & caput eius Christus Iesus Dominus noster: ita synagoga Sathanæ Iudæi isti, perfectissima diaboli instrumenta, dictis factisque suis, exemplar mihi videntur tribuere eximium.

Quare in hac concione, historiam Evangelij hodierni delibantes, ac literalè eius sensum inuestigantes, doctrinas quidem morales sequenti concioni reseruabimus, quæ vero ad fidè Catholicam confirmandâ pertinent

hic

PROP.  
*Et in titulo.*



hic excutiemus; indeque signa tum Ecclesie Christi; tum synagogae Sathanae decerpemus, vobisque adnumerabimus. Sit ad laudem Iesu & sponsae eius utilitatem.

*Duplices  
Iudaorum  
calumnias.*

*Alie mino-  
ri momenti  
præter.*

*Amicitiam  
cum pecca-  
toribus &  
Sabbathum  
quam Sa-  
thide refu-  
tat.  
Luc. 5. 31.*

Ad pleniorē Euangelij huius intelligē-  
tiam, spectat, nosse calumnias, quas hostes  
Christi Iesu in eum coniciebant, ad duo ca-  
pita reduci vniuersas. Quædam enim illa-  
rum erant essentialia, eæ videlicet quæ do-  
ctrinam Christi eneruabant; quædam non  
item. Ex harum numero fuere: eum esse a-  
micum publicanorum & peccatorum, esse  
Sabbathi violatorem, esse fabri filium, imo  
ipsum quoque fuisse fabrum, nec non vini  
potatorem, Galilæum, Samaritanum, & si  
quæ sunt generis eiusdem. Ad quas Chri-  
stus Dominus raro respondit, præterquam  
ad duas priores. Ad primam quidem semel,  
& iterum dicens: *Non egent qui sani sunt me-  
dico: sed qui male habent. Non veni vocare ius-  
tos, sed peccatores ad penitentiam.* Alteram  
vero de Sabbatho, quia erat maioris momen-  
ti valide confutat. Primum quidem re & fa-  
cto ipso curando in Sabbatho: tum mulie-  
rem incuruatam decem & octo annis in tem-  
plo, tum hydropicum in conuiuio, tum tri-  
ginta & octo annis ægrotum, ad piscinam  
probatam, tum cæcum natum, ob quem  
multa sunt exortæ tragædiæ: tum alios. De-  
inde id non esse violare Sabbathum probat  
&



& rationibus, & exemplis ipsorummet ad-  
uersariorum, qui multo & viliora, & laborio-  
sa magis faciebant in Sabbatho, a sinu e-  
fouea extrahendo, bouem à præsepio soluē-  
do, & adaquando, hisque similia patrandō.

*Cetera  
dissimulat.*

Cetera vero eiusmodi obiecta dissimulauit:  
tum quod ipsa sponte sua ruerent, vt illud  
de potu vini, quod parcissimè illum sumpsis-  
se constabat omnibus: tum quod nullius

*Alia essen-  
tiales quib:  
satisfaci.*

essent momenti, vt reliquæ omnes: Ad il-  
las vero quæ prioris erant generis calumni-  
as, & quarum duæ erant præcipuæ, nempe

tum quod dæmonium haberet, dæmonisq;  
virtute omnia perageret, tum quod falsum  
doceret: Ad hæc inquam & semper, & variè

respondit, quod hîc quoque facit, & quidem  
dupliciter: tum regerendo eas in ipsometi:  
tum directè iis satisfaciendo. Primum præ-

*1. Regeren-  
do eas.*

statin hac ipsa disputatione, sic eos paulo

ante hodiernum Euangelium alloquens:

*Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris*

*Ioan. 8. 44*

*vestri vultis facere. Quæ desideria? tum ho-*

*mucidij, tum mendacij, quia mendax est & pa-*

*ter eius: pater videlicet mendacij est Sathan,*

*idemque est pater vester, quem egregiè imi-*

*tamini: tum mortem mihi inferre medi-*

*tando: tum mendacia serendo. Ea ratione*

*Christus Iesus, falso sibi illata conuicia veris-*

*simè in aduersarios retorquet. Directè verò*

*2. Directè  
respondendo: 1*

*illis satisfaciit, respondens in initio Euangelij*

*hodierni.*

QUIS



*Probat se  
dæmonium  
non habere.*

*Ioan. 16. 8*

QVIS EX VOBIS ARGVET ME DE PECCATO? Arguere, & hic & alibi convincere significat, ut tum in græco, tum in latino sermone, tum in ipsa scriptura euidēs est. Nam & ipse Christus loquens de Spiritu sancto, quem se missurum pollicetur, inquit. *Et cum venerit ille arguet mundū de peccato*, id est convincet mundum peccati. Porro argumentū Christi est tale. Obiicitis mihi dæmonium me habere: ego vero vicissim exigo à vobis hostibus meis, ut me peccati alicuius cōvincatis, quod cum facere nequeatis, agnoscite miseri, me cum dæmone nihil commune habere. Qui enim castra dæmonis sequuntur, sine peccato esse non possunt, quod vos ipsos non latet.

*PRIMUM  
SIGNVM  
ECCLIE  
SIAE sine  
peccato esse.*

*Non ratio-  
ne singulo-  
rum sed.*

Hæc Christus Iesus. Nos vero quid? Quoniam modo Christus fuerit absq; omni peccato differemus, ipso dante in sequenti conuisione; iam vero notamus primam Ecclesie notam. Quæ in eo consistit, ut ipsa quoque suo modo dicere possit & debeat. QVIS EX VOBIS ARGVET ME DE PECCATO? idq; palam & perspicue, suo tamen, ut dixi non hæretico modo. Illi enim applicat quidem hæc verba suæ congregationi, sed ita applicat, ut affirmant nō nisi pios & sanctos in illa reperiri. Sed absit à vera Christi Ecclesia tantum mendaciū, quod adeo patet in hæreticis, ut non solum nō possint probare id de sua Ecclesia,



clesia, sed etiã ne ostendere quidem valeant,  
 ubinam illa reperiatur, cum sit iuxta illos in-  
 visibilis. O nuge? Nos vero asserimus hoc si-  
 gnum & conspicuum non occultum esse, &  
 toti Ecclesiã non singulis qui in ea sunt ho-  
 minibus competere. Competũt autem hæc  
 verba ei, non quidem in eo sensu, in quo illa  
 Christus de seipso protulit. Absit. neque ut  
 credat omnes suos alumnos esse sine pecca-  
 to: Absit. Sed duplici alia ratione. Primo mi-  
 nus propriè, quia omnes qui in mundo sunt  
 sancti (sunt autem plurimi) & qui dicere pos-  
 sunt, QVIS EX VOBIS ARGVET ME DE PEC-  
 CATO mortifero? ipsius Ecclesiã gremio cõ-  
 tinentur: extra enim illã nullus est verè pius,  
 nullus placens Deo. Secũdo magis propriè,  
 quia in omnibus quæ docet Ecclesia, neque  
 mendacium seu infidelitas, neq. peccatũ re-  
 peritur: idq; necessario. Cum enim Ecclesia  
 cõgregatio sit fidelium, infidelis in ea locum  
 habere nequit, quia vero à Spiritu sancto re-  
 gitur, peccatũ præcipere non potest, ne cul-  
 pa in rectorem redundet. Hæc est Ecclesiã  
 Dei descriptio, hoc indicium, quod cum in-  
 ter solos Catholicos reperiatur, prout expe-  
 rientia nos per mille & sexcentos penè an-  
 nos docuit; hæc erit vera Christi visibilis Ec-  
 clesia non alibi.

E contrario vero apud hæreticos, non  
 Christi cõgregationem, sed cœtum esse dia-  
 boli

*1. Quia ubi  
 tantum ta-  
 les.*

*2. Ratione  
 doctrina &  
 morum.  
 Probatur  
 ex definitio-  
 ne Ecclesiã.  
 Ex assisten-  
 tia Spiritus  
 sancti.*

*1. SIG-  
 NVM Sy-  
 nagoge.*



boli his patet argumētis. Primo ex eo quod  
asserūt, in ipsorum cœtu omnes esse bonos.  
Cœtus igitur iste non est Christi, in cuius  
congregatione, imo Apostolica familia, dum  
hæc loqueretur Christus Iesus fuit Iudas Is-  
cariotes pessimus traditor, paulo antea  
Christo *diabolus* nominatus. Deinde quo-  
modo quæso ibi erit Ecclesia, ubi vitia &  
scelera docentur? quod fieri apud illos præ-  
sertim per primum prophetam ipsorum Lu-  
therum, & scripta, & facta eorum testantur.  
Demonstremus id per aliquot peccatorum,  
& ipsius decalogi capita. Prodeat primum  
superbia in medium; quæ mater est omnium  
peccatorum, teste scriptura cum inquit, *ini-*  
*riū omnis peccati est superbia.* Superbiæ vero  
opus & actio, quæ potest esse maior vel tur-  
pior, quam cum homo vnus priuatus, vult  
de omnibus hominibus qui sunt, vel fuerūt  
iudicare, neq; de re parui momenti, sed quæ  
fidem & articulos fidei concernit? Eam ve-  
ro facultatem dat Lutherus omnibus dicēs.  
[iudicare & discernere de rebus fidei, omni-  
bus Christianis competit] Audis quod non  
solum iudicare, sed etiam discernere permit-  
tat? Quod docet ipsa experientia; cum ex  
decem hæreticis qui pollent ingenio, non  
inuenies tres, qui idem per omnia, de om-  
nibus articulis fidei sentiant. Quæ vero po-  
test esse superbia æquè diabolica & confu-  
sionis

*Ioan. 6. 30.*

*II. SIG.*

*NVM Sy-*

*magog pec-*

*cata docere*

*vel permut-*

*tere.*

*i. Superbiā*

*maximam*

*docent.*

*Ecl. 10. 15.*

*Et scriptis.*

*Luther. in*

*epist. ad Se-*

*natum Pra-*

*gensem.*

*Et factis.*



tionis plena, ac est ista? Nulli iudicium suum submittere velle. diaboli omnino munus est, quanto magis de omnibus etiam iudicare velle? Egone homuncio nullius momenti, & mihi similes, cæci, lixæ, & vniuersa fax populi, vna cum suis mulierculis, imo singuli nostrum de rebus grauissimis & abstrusissimis, de locis scripturæ difficillimis, de iudicio omnium doctorum, conciliorum, totiusque Ecclesiæ iudicabimus, & si quidem placebit approbabitur, sin minus reprobabitur vniuersos? Quis Ethnicus, Iudæus, Machometanus, aut quiuis ducem rationem sequens, superbix hanc esse notam maximam non censebit? Confusi vero quæ maior vel imaginatione effingi potest? Vbi enim erit illa vnanimitas quæ D. Paulus à fidelibus exigit monens & obtestans, per viscera miserationis, vt simus vnanimis id ipsum sentientes, nihil per contentionem, neq; per inanem gloriam, sed in humilitate. cuius hic omnia contraria.

*Confusio-  
nis plena*

*Con. Scripte  
Phil. 2. 30.  
& seq.  
Rom. 12. 16.*

*2. Auari-  
tiam pro-  
mouente*

Taceo alias superbix notas, ad auaritiam transeo, indeque ad furta, rapinas, sacrilegia, à coriphæis hæreticorum concessa, à Ministris eorum promota, à principibus, à Rebus publicis, à militibus, à plebe denique ipsa executioni mandata. Quis regiones ab istis occupatas transiens, hæc vel non videt, vel non miratur? Intuens inquam tot sacra-



*Fructus no-  
ui Euange-  
lij.*

ria, olim auro, argento, lapillisque & ueste  
preciosa fulgentia expilata, sordibusque re-  
ferta. Intuens amplissima templa, aut in ar-  
mamentaria, aut etiam in stabula, aut in do-  
mos priuatas conuersa, aut denique solo z-  
quata. Intuens tot prædia Ecclesiarum, vil-  
las, oppida, Ciuitates spoliatas & deuastatas,  
ac vsibus sæculariũ permiffa vniuersa. Quo  
iure, qua iustitia, quæ Deo dicata à maiori-  
bus fuere, ad ius illorum, qui nihil iuris ad  
id habuerunt, hæc omnia transferunt? Lu-  
re auaritiæ, & noui Euangelij, contra omne  
ius diuinum, humanum, naturale, quod  
docet vnicuique, & relinquere, & reddere  
quod suum est.

*Con. omne  
ius & acqui-  
sitionem.*

*§. Luxuria  
docent  
nempe.*

*Sacrilegiũ.  
1. Ti. 3. 11.*

De luxuria pudet me dicere, quod non  
puduit, prophetam Germaniæ docere, scri-  
ptis mandare, factitare. Non ne ipse Luthe-  
rus, olim Deo in religione dicatus, virginem  
Deo itidem consecratam è monasterio edu-  
xit, ac cum ipsa sub specie matrimonij im-  
purè vixit? immemor quid de talibus Paulus  
scribat dicens. *Cum autem luxuriatæ fuerint  
in Christo, nubere volunt: habentes damnatio-  
nem, quia primam fidem irritam fecerunt?* Si  
damnabile est teste Apostolo velle tantum  
nubere, post datam fidem castitatis Chri-  
sto, quantum scelus erit id ipsum facere, & li-  
beros procreare? Quod vero est luxuriæ ge-  
nus, cui Lutherus factis, edictis & responsis  
suis



fuis habenas non laxauit? De sacrilego concubitu iam dixi. Sequitur incestus, quem difertis admisit verbis, quādo concessit (sicut in antiquis eius exemplaribus legimus, nūc enim aliter noua habent) vt si quæ fuerit à marito decepta, vicissim illum decipiat. eundem ad fratrem ipsius vel alium, nec maritum contradicere debere. Quid adulterium? nunquid verbis illis [si non vult vxor veniat ancilla] quasi lege sancitum nō fuit? Deniq; per doctrinam illam de impossibilitate continēdi, cui obscenitati, quæ porta aperta nō est? Omnis omnino omni, ita vt quædā licet grauiissima, ne agnoscat quidem pro peccatis. Retulit mihi quædā persona docta apud hæreticos olim magnæ auctoritatis, conuenisse aliquando Ministros quos vocant, & alios, vt intelligerent quidnam in illis verbis Apostoli Pauli. *Neq; fornicarij, & c. neq; adulteri, neq; molles, neq; masculorum concubitores, & c. regnum Dei possidebunt*, per molliciem intelligatur; & conclusisse molliciem vestium denotari, non animaduertentes Paulum hic recensere gradus peccatorum carnaliū, & primo quidem ponere fornicationem, secundo loco adulterium, tertio molliciem, quarto masculorum concubitum, vt notis posteriora prioribus semper esse grauiora; atq; ita mollicies adulterio est tetrior repugnat enim ipsi naturæ procreatrici, quam

*Incestus**Adulterium**Et reliqua  
omnis generis.**Nec sciunt  
quid mollicies.**1. Cor. 6. 9.*



tamen hæretici ne reputant quidem, nec mirum, id enim illi principio Lutheri maxime seruit. O nefas!

*A. Tram & odium, Lutherus de formula Missæ. Placida-bolicum.*

Percurramus reliqua, ira & odium sequitur, quorum innumera documenta. Illud Lutheri sufficiat, qui differens de usu utriusque speciei in Sacramento Eucharistiæ, sic inter alia scribit. [Quin amplius dicimus, si quo casu concilium id statueret, ac permetteret, tunc minimè omnium nos velle utraque specie potiri: imo tunc primum in respectum tam Concilij, quam statuti sui, vellemus aut vna tantum, aut neutra, & nequaquam utraque potiri, ac planè eos Anathema habere, quicumque auctoritate talis Concilij, vel statuti utraq; potirentur] Hæc Lutherus. Quid vero odio isto potest esse magis diabolicum, quod ut expleret, & omnem refugit unionem, etiamsi ei cōcedatur quod cupit, & tot animas Christi sanguine redemptas, per inobedientiam & contemptum superiorū vult perdere? At hoc inquis priuati hominis vitium fuit, nec quicquā valere ad ostendendam Ecclesiam malignātiū, cum nulla sit congregatio, quæ à peccatis etiam publicis sit libera. Bene hoc postremū asseris, ut & nos antea notauimus, & ita quæcūque dicta, & quæ dicenda sunt, non de quibusuis peccatis, sed de illis, quæ ex doctrina fluūt intelligi volumus. Ista enim sunt signa

*Obiectio.*

*Vitia doctrinae monachorum Syriacorum.*

verissi-



rissima synagoga Sathanæ. Porro eiusmodi est hoc Lutheri, qui cum iudicio suorum esset Prophetes, ad quem tanquã ad oraculum omnes sui recurrerant, quicquid dixit vel scripsit, eo præsertim tenore verborum, quæ hic videmus, instar legis est. Prophetarum enim verba per imperium prolata pro decretis diuinis habenda sunt.

Quid dicam de gula? Ei quam latus appetus fuerit campus, per ablationem omnium ieiuniorum, quæ vigore legis ab ipso die creationis hominis semper seruauit Ecclesia Dei, quis etiam puer non videt? Disseruimus nos de hæc re initio quadragesimæ, idcirco & hoc & reliqua peccatorum capita relinquimus.

*§. Gula*

*Domin. xi  
Quadragesimæ  
Conc. 2.*

De euacuatione præceptorum Decalogi pauca dicamus, sitque nouum synagoga Sathanæ signum, de quo nemo rectè dubitabit, nisi qui eiusdem Sathanæ mancipium sit. Qui enim Dei mandata eneruat, neruus dæmonis est. Id vero facere hæreticos nostri temporis, manifestum est, tum vniuersim, tum peculiariter. Vniuersim tollunt decalogum, cum eius obseruationem impossibilem esse docent, in primis vero primi & ultimi præcepti diuini. Singillatim vero, Tollunt primum per multas, quas quotidie nouas excogitant perfidias & hæreses. Tollunt secundum cum vota & iuramenta, de seruanda virginitate,

*III. SIG-  
NVM Syn-  
agoga Sa-  
thana De-  
calogum eu-  
acuare.  
Id vero fit  
Tum vni-  
uersim,  
Tum sin-  
gillatim.*



tate, castitate, paupertate, & obedientia Deo nuncupata omnibus penitus solvunt. Euacuant tertiū, cum omnia festa, à Christo per Ecclesiam cōstituta auferunt, die Dominica excepta, de qua tamen nihil plus, quam de aliis festis habent ex scripturæ testimonio. Quamuis enim diei huius fiat mentio in sacris literis, nullibi tamen eius sanctificatio præcipitur. Proinde aut Ecclesiæ auctoritatem agnoscant, & Catholici sint: aut totum tollant, & atheos se esse declarent. Euacuant quartum, cum honorem, obediētiam, & Iurisdictionem quæ superioribus debetur, primum ab Ecclesiastico, deinde etiam à seculari ordine sustulerunt, ab illo quidem omnes, ab hoc vero palam Anabaptistæ, alij vero per cuniculos; quamuis satis apertus sit ille Lutheri articulus. [ Nulla est ergo remedij spes nisi reuocato libertatis Euangelio secundum ipsum extinctis simul omnibus omnium hominum legibus, omnia iudicemus & regamus, Amen. ] Quintum euacuarunt, tum verbis, quando Euangeliū sanguinem fuisse edixerūt: tum factis, quando rusticos, & plebem contra legitimos principes concitarūt, vt Lutherus, Zuinglius, cum primis vero Anabaptistæ. Qua ratione cædes patratas, quis enumerabit? De sexto & septimo decalogi præcepto euacuato diximus sub luxuriæ & auaritiæ titulo. Quare iam concludamus.

*Conclusio.*

Cum

*Luth. in artic.  
sic. 500. art.  
391.*



Cum luce meridiana clarius constet hæreticos doctrinis, & institutis suis, tum peccata innumera promouisse; tum præcepta diuina euacuisse, constabit etiam euidenter apud illos, non Christi Ecclesiam, sed Sathanæ esse Synagogam. At tempus est vt ad Euangelium redeamus.

SI VERITATEM DICO QVARE NON CREDITIS MIHI inquit Christus. Quando vero ait se veritatem dixisse, intelligendum est non simpliciter eum id fecisse, sed hanc ipsam signis confirmasse, vt sint inexcusabiles qui ei non crediderunt. Porro argumentum Christi, hoc dilemmate videtur constare. Vel ego dico veritatem, vel non. Si eam non dico, arguite me, non solum mendacij, quod vtiq̃ue in te graui, qualis est ista, grande peccatum est, sed etiam cuiusuis peccati me conuincite. Si autem VERITATEM DICO QVARE VOS NON CREDITIS MIHI? Hæc quantum ad textus explanationem.

*Probat Christi se Veritatem docere.*

Est vero hoc signum præclarum, tum Ecclesiæ Christi, credere veritati: tum Synagogæ Sathanæ credere mendacio: & tam euidentis, illud quidem in Catholicorū, hoc vero in hæreticorum esse congregatione, vt ipsosmet id minime lateat aduersarios, qui sæpius tū Catholicorū in vniformitate fidei, & suscepta veritate constantiã: tum suorū vanitatem & varietatē ita demiratur, vt aperte

*SECVN-  
DVM SIG.  
Ecc. Veri-  
tas.*

*IV. SIG.  
Synag. Me-  
daciū pro-  
batū &  
trium 4.*



2. *Ipsorum  
confessione,*

2. *Experi-  
entia.*

testentur se & mendaciis fidem adhibuisse, & quid amplius credere debeant prorsus ignorare. O quoties hæc ex ore ipsorum audita fuere! Sed & nos non semel diximus, & deduximus, hæreticos ad credendum quidē mendacio exercitatissimos, ad assentiendum vero veritati obtusos mentis sensus habere. Dic quæcunq; excogitare potes mendacia contra Ecclesiam Rom., contra summos, & alios Pontifices, cōtra personas Ecclesiasticas vel religiosas, statim hæreticus toto pectore arripit, credit, repetit aliisq; denunciatur, etiā si nullo aut per exiguo & falso nitantur principio. Cōtra vero recita historias sacras, virotū perfectorū, ab antiquissimis, grauiissimis, doctissimis, & sanctissimis viris conscriptas: ac per tot sæcula creditas, quid hæretici? credūt nihil, imo mendacia esse proclamāt, & nugas vetularū. Quare? vt impleatur in illis hoc signum, quod explicans Saluator immediatē ante Euang. hodiernum inquit. *Ego autem quia veritatē dico, nō creditis mihi, ac si diceret, si falsitatem dicerem, crederetis. Et ita se res, cum nostris quoq; hæreticis habet. Deniq; huc spectat, quod in priori puncto insinuauimus, de correctione, vel abrasione quorundam ex libris Lutheri facta per discipulos ipsius. Vtrumque enim hisce meis oculis vidi, nempe illa quæ citauimus, cæteraque his similia, in antiquis à Luthero*  
Vitem-

3. *Euangelio.  
Ioan. 8. 45.*

4. *Emenda-  
tione libro-  
rum Lu-  
theri.*



Vittembergæ & aliis impressa exemplaribus  
reperi, iam vero in nouis editionibus de-  
esse. Hæc inquam vidi & cernens ingemui, *NOTA.*  
demiratusq; sum vehementer, sicut & nunc  
mirari satis nequeo tantam excacationem  
hominum. Certe si nihil esset aliud, hoc so-  
lum ad conuersionem viro cordato satis su-  
perque sufficere deberet. Quis enim à secu-  
lo audiuit vnquam, scripta diuini prophe-  
tæ, à discipulis ipsius fuisse emendata? Si-  
nim vera scripsit, prout verum prophetam  
facere necesse est, cur veritas è medio tolli-  
tur? Si falsa, quomodo titulo Prophetæ Lu-  
therus insignitur? sicut non solum in scri-  
ptis asseclatum eius, sed etiam in templis  
Vittembergæ, & alibi me vidisse alias recolui?  
Quare si caput omnium nostri tēporis hæ-  
resum, ipsorummet discipulorum eius iudi-  
cio tam mendax fuit, vt sui præ pudore cor-  
rigere illum cogerentur, quis adigit homi-  
nes istos vt illi credant? Nemo certe alius  
quam malus genius, qui in ipsorum coetu  
sedem sibi fixit, & ita mentes eorum occu-  
pauit, vt videntes & volentes acquiescant  
mendacio, sicut hic maioribus ipsorū Chri-  
stus dixit, & illis prædixit, addens etiam ra-  
tionem cum inquit.

*Conclusio.*

QUI EX DEO EST VERBA DEI AUDIT. *TERTI-*  
PROPTEREA VOS NON AUDITIS. *VM SIG.*  
QUIA EX DEO NON ESTIS. Quæ ver- *ECCLE.*  
ba *SIÆ esse*



*ex Deo &  
Verbum  
Dei audire  
V. SIG. SY.  
N. A. nesci-  
trum habe-  
re.*

*Reiectio ad  
alia loca.*

*Probatur  
sum breuit-  
er primū.*

*Ex Euan-  
gelio.*

ba quoniam exposuimus & excussimus in prima concione, hic nihil restat aliud, quam vt hodierno applicetur instituto. Habemus enim in illis aliud signum, tam Dei quā malignantiū Ecclesie. Christi enim congregatio ex Deo est, & delectatur verbo Dei: malignantium vero hæreticorum neutrū habet. Magnus tum differendi campus, tum triumphandi occasio. Quid enim isti magis in ore habent, quam se & ex Deo esse, & purum putum verbum Dei prædicare, & audire quotidie perlibenter? Sed verba sunt prolata non probata, verba data misera plebi, condita mille mēdaciis, quæ ad hæc duo quæ audisti capita reducuntur. Sed & nos nec defuimus, nec deerimus nostro officio cōtrarium probando, quod in omnib. quæ sub fidei sunt titulo, agimus concionib. Ex professo autem Coryphæos, & omnes rabbinos hæreticorū non esse missos à Deo demonstrauimus, tū tribus concionib. in Aduentu: tū vna quam habuimus in die sancti Andrea. Verbum vero Dei illos nec adferre, nec audire, in prima Dominica Aduentus, & in Sexagesima ostendimus. Neque vero multis opus est, ea quæ hucusque hic discernimus id ipsum probant. Hæc est enim quasi doctorum appendix. Nam apud quos tum pietas, tum veritas viget. ij sunt ex Deo, & verbum Dei audiunt; contrariam vero è con-



contrario. Pietatem autem in Ecclesia Romana vigere, tam clarum est vt ipse Lutherus fateatur esse hic [nucleum deuotionis] & certe cui odium non omnino excæcauit oculos, id ipsum videbit facile, si opera misericordiz, mortificationis, deuotionis, pietatis, quę hic cõferet cū illis quę apud eos sūt. Veritas item in verbo Dei fundata hic tam solida est, vt hæc sola congregatio credat omnibus, quę in scriptura siue expresse, siue inuolute sub traditionibus, & Ecclesiz auctoritate, quibus eadem scriptura nos fidē adhibere iubet continentur. Hæretici eligunt quod eis placet, quod displicet reiiciūt, addentes tū tot plaustra mendaciorū, quot iam numerari nequeunt, tum innumeras scripturę peruersiones, quas plebi pro verbo Dei impudentissime vendunt, asserentes se præter verbum Dei, nihil adferre. Scilicet hæreticus minister, quando tot fabulas de monachis, sacerdotibus, imis & summis pōtificibus attulit, tunc nihil præter verbum Dei retulit. O homines non homines, qui ita vos decipi apertis mendaciis patimini! Innumera possem adferre scripturę testimonia, quibus isti ne perfidia eorum debilitetur non credunt ( licet contrarium apud vulgus iactent ) verum septa Euangeli transilire nolo: ideo duotātum adfero. Vnum contra Anabaptistas, qui ne cogant

2. Ex confessione Lutheri.

3. Experientia.  
4. Verbo Dei.

Probatur secundum.  
1. Experientia.

2. Aperta mendacio.

3. Exēplis ex Euangeliis.

Contra Anabaptistas.



*Contra A-*  
*rabapit.**Contra Cal-*  
*vin.*

cogantur credere Christum Iesum fuisse ante Mariam, non tradunt quæ cum attestatione ipse hic inquit AMEN AMEN DICO VOBIS ANTE QUAM ABRAHAM FIERET EGO SVM, sed seludunt verba ista clarissima prout illis placet, quanto ineptius tanto ad vrgendum difficilius, vt fert pro- uerbium. Similiter Calviniani ne cogantur concedere posse Christum efficere, vt corpus ipsius (imo cuiusuis hominis) sit inuisibile, sicut effecit & hic, & in patria sua, facit- que quotidie in Eucharistia, non credunt vltimis Euangelii verbis. IESVS AVTEM ABSCONDIT SE ET EXIIT DE TEM- PLO sed miris cauillationibus ea peruer- tunt. At frustra, si enim conspicuus omni- bus fuit, quomodo in templo referto ho- minibus abscondere se potuit ne ab homi- nibus videretur? quomodo de templo exire in tanta aduersariorum qui illum observa- bant, & lapidare volebant circumspectione & rabie? Constat igitur Iesum corpus suum ab eorum aspectu abstraxisse, & inuisibi- lem se fecisse. Sed de his satis. Sequitur in Euangelio.

RESPONDERUNT ERGO IVDÆI ad has tres propositiones Christi præcla- rissimas.

ET DIXERUNT EI, non responden- do sed conuitia reiterando.

NON-



NONNE BENE DICIMVS NOS. Ecce tibi veram perfidorum imaginem. Superbe & impudenter de mendacio gloriari. Id singula verba sonant. NONNE, dicunt isti, quasi nemo dubitet, quod BENE, quavis pessime etiam mendaciter. DICIMVS, asserimus, affirmamus, ac quasi ex tripode (quod dicitur) Apollinis, pronunciamus. Nos, viri tam docti, pharisæi, in lege versati &c. O quam id hæreticis vsitatum, nonnquam sub eodem tenore verborum, semper autem sensuum. Neque enim aliud dicere possunt, quam NOS, EGO. *Magis hæretici.* Ista est enim vt toties diximus, & diduximus totius fidei illorum obrussa. EGO, ita sentio, Ego sic interpretor, ego verbum Dei adfero, hæc & non alia est loci istius scripturæ intelligentia, dicant quicquid velint, decem Concilia, centum pontifices, mille Patres, deniq; Lutherus, Calvinus, & reliqui omnes, isti male, NOS BENE DICIMVS. Nam etiam suos deserunt, ne suum EGO perdant. O quoties audiimus illos quando rabbinorum suorum autoritate constringuntur, clamantes. Quid mihi cum Luthero, quid eum Caluino? Ego non homines sed scripturam sequor, id est caput proprium, quod sic scripturam contra omnem sensum, & consensum interpretatur, & interpretationem pro ipso puro verbo Dei vendit. Quanta exci-

VI. SIG.  
SYNAG.  
De menda  
cio gloria  
tio, ita lo  
dat.

Magis hæ  
retici.

NOTA.

tas



citastorum, qui hæc non vident? Illumi-  
nata tandem oculos illorum ô bone IESV.  
Sed videamus quid Iudæi isti Christo dicant,  
vt eundem stylum in istis nostris quoque &  
agnoscamus & demiremur.

VII. SIG.  
STN. AG.  
Impropria  
Ec. sic Iu-  
dæi Christo.

QVIA SAMARITANVS ES TV  
ET DÆMONIVM HABES? Hæc im-  
properant isti Christo & ineptè, & menda-  
citer, & contumeliosè. Ineptè, quia ad rem  
& dicta Christi nihil. Mendaciter vtrumq;  
enim fuit falsum. Contumeliosè, natura-  
nim est talium, cum quod respondeant non  
habeant, ad conuitia conuerti. Ista Iudæi  
Christo, nostri vero nobis quid? Ouum  
quod dicitur non est ouo similis, quàm  
isti hæreticorum sermonib. Quoties enim  
audiuistis illos pondere argumentorū pres-  
fos, cum quod responderent non inuenirèt,  
in illa proruissè verba. NONNE BENE-

Magis no-  
stri nobis.

NOTA.

DICIMVS NOS, QVIA Papa est Anti-  
christus, & dæmonium habet. Quia vos estis  
Idololatra: Quia sacerdotes vestri sunt ma-  
ctatores Christi Artolatra (licet bene sciant  
nos negare in Eucharistia post consecratio-  
nè esse panem; quomodo ergo panem ad-  
oramus si panis ibi non est) monachos item  
ac alios religiosos esse hypocritas, pestiferos,  
scelerib. & impietate plenos. O si nos quoq;  
vellemus huiusmodi narrationib. occupari,  
quàm facile inueniremus etiã in tanta Mi-  
nistorum



nistorū paucitate talia scelera, qualia mundus miraretur, quorū illud haud postremū quod alias retuli, & vos nostis oēs, nō ad eō enim procul à Ciuitate Vilnensi in quodā oppido factū est, vbi Minister Calvinianus (patro nominibus) superstitē vxore, ex propria filia, familiam etiam propagare voluit. Verum ne similes illis simus, his supersecedamus, & quid Christus, ad ista dicat videamus. Itaque.

RESPONDIT IESVS EGO DÆ- *Civ. Chri.*  
MONIVM NON HABEO. Vni calum- *stimon ad*  
nia negando satisfecit, alteram subicit: *omniā re-*  
causam in principio huius concionis affig- *pondet.*  
nauimus. Dant aliam Patres, nempe idcirco non negasse Christum se esse Samaritanum, quia Samaritanus custodem designat; quod Christo competit plurimum. Sed hæc moralia sunt, nos literā hęc excutimus. Pergit verò Christus.

SED HONORIFICO PATREM *QUAR-*  
MEVM, Deum, verbis, factis, & mira- *TVM*  
culis. *SIG. EC-*

ET VOS INHONORASTIS ME. A- *GLIES ho-*  
liud & pulchrum, tum fidei, tum perfidiæ *norare;*  
iudicium. Illa enim honorat, hæc inhono- *II. SIG.*  
rat, vel minus honorat Christū. Quod quia *SYNAG.*  
ante aliquot hebdomadas, integra cōcione *inhonorata*  
tractauimus, nunc relinquendū est. Quam- *Christum.*  
uis n. multa addi possent, & inter alia quo- *Dominica*  
modo *Quinquages.*  
*ges. conc. 2.*



*Dominica  
Quinquag.  
Con. 2.*

modo Lutherani quidem sponsa, Calviniani omnipotentia, Anabaptistæ diuinitate Iesum spolient: tamen quia multum adhuc contextus Euangelici restat, progrediamur. Sequitur.

*QVIN-  
TVM  
SIG. EC.  
CLESIE  
CHRISTI  
IESV, IX.  
SIG. ST.  
NAG. pro-  
priam glo-  
riam qua  
aere.  
Phil. 2. 21.  
Regula.*

EGO AUTEM NON QUÆRO GLORIAM MEAM, inquit Christus secundum humanitatem, datque aliud signum æque eximium. Etenim veræ fidei est, Dei & Christi Iesu, perfidie vero, propriam gloriam querere. Hic altercandi campus: tum quod hæc interiora petant, ideo facile negantur, tum quod in priuatis signum hoc non semper locum habeat. Olim enim Paulus conquerebatur, quod omnes quæ sua sunt querunt, non quæ sunt Iesu Christi. Quapropter ad regulam datam est recurrendum, & videndum, quid ex qua emanet doctrina. Apud nos certe & humilitas summo opere commendatur, & præcipitur, ut iudicium nostrum iudicio Ecclesie submittamus, quod & facimus. illi cum dant facultatem omnibus de omnibus iudicandi, nonne superbiam & gloriam propriam promouent? Taceo reliqua, etiam illud quod primus illorum propheta effutiuit. Causam & controuersiam, quam inchoauerat, de rebus fidei, neque propter Deum ceptam neque propter Deum finiendam esse: propter propriam igitur gloriam, ne cuiquam cedere



videatur, Sed ad Christum remeemus, qui infert.

**EST QUI QVÆRAT ET IVDICET.** Minando de Deo patre loquitur. *Quomodo pater iudicat.* Neque vero id est contrarium illi quod idem Christus antea dixerat, *Neque enim pater iudicat quenquam* In Euangelio enim hodierno de priuato, illic de publico, & extremo iudicio est sermo, quod à Christo expeditur, ideo subdit, *sed omne iudicium dedit filio.*

**AMEN AMEN DICO VOBIS.** Pergit Iesus more benignitatis suæ plus addere, quam postulat.

**SI QVIS SERMONEM MEVM SERVAVERIT.** *Sermo quæ Christi.* Et tum creditur me esse Messiam, & omnia, quæ eo spectant: tum fecerit, quæ facienda nomine patris mei mandauit, is

**MORTEM NON VIDEBIT IN ÆTERNVM.** *Mors duplex.* Per mortem hic intelligit Christus dominus. Primum quidem mortem animæ, postea vero etiam corporis post resurrectionem vniuersalem. Neutra enim mors inuadet eos qui sermones Christi usque in finem seruant. Illi autem quid ad istas tum minas tum promissa Christi?

**DIXERVNT ERGO IVDÆI,** semper sibi similes, & carnales, sublimia non capientes. Ideo aiunt.



X. SIG.  
SYNAG.  
duplex.

1. Impugna  
re quæ igno  
ras.

2. Blasphē  
mare.  
Exēpla a.  
liquor.

NUNC COGNOVIMUS QUIA DÆMONIVM  
HABES. Cognovisse se asserunt, non quod id  
denuo sentire inciperent, cū & antea eiusdē  
fuissent sententiæ, sed phrasi communi, qua  
vti solemus, cū in nostra sententia, nouo ali-  
quo confirmamur argumento. Porro verbis  
illis duo præstant. Vnū quia oppugnant, rē  
quam non intellexerūt. Alterū quia ad alia-  
rum nequitiarum cumulū adiiciunt dupli-  
cem blasphemiam: tum auferendo Deo q̄  
Dei est, tum id ipsum dæmoni adscribendo.  
Quid? sunt ne illis imitatores? Equidem di-  
ligentes, & vtroq; modo. Quid n. apud no-  
stros hæreticos frequētius, quam impugna-  
re q̄ non percipiunt? Quoties id experti su-  
mus? Sed & blasphemie non desunt, et his si-  
miles. Eiusmodi est expulsionem dæmonū,  
quæ in Ecclesia Catholica visitur, arti Satha-  
næ tribuere, cum virtute fiat Christi. Nec il-  
lud absimile, quod antiquissimas Ecclesiæ  
cæremonias, ad baptismum & alias adhiberi  
solitas, & à spiritu sancto institutas, supersti-  
tiones & incantationes vocitant. Simples  
vero blasphemias, tum Lutheranorum ad-  
uersus sanctos, tum Calvinianorum cōtra  
præsentiam Christi in Eucharistia, tum An-  
abaptistarum in Christum & Sanctissimā  
Trinitatē quis enumerabit? At inquis pro-  
bant hæc isti contra vos. Non meliori sane  
modo quam Iudæi isti contra Christum, i-  
mo



mo sæpe deteriori, & multo minus ad rem:  
Audiamus Iudæos.

ABRAHAM MORTVVS EST ET PRO-  
PHETÆ, ET TV DICIS SI QVIS SER-  
MONEM MEVM SERVAVERIT NON GV-  
STABIT MORTEM IN ÆTERNVM.  
Semper in sua sententia, de morte tempora-  
li perſeuerantes, indeque fallacias, & æqui-  
uocationes firuentes. Addunt autem.

*XI. SIG.  
SYNAG.  
Quadrupl.  
patet id in  
Iudæis.*

NVNQVID TV MAIORES PATRE  
NOSTRO ABRAHAM. A quo omnes Iu-  
dæi originem duxerunt, & de cuius proſa-  
pia mirifice gloriabantur.

1.

QVI MORTVVS EST, ET PROPHE-  
TÆ MORTVI SVNT. Pro maximo ab-  
ſurdo reputantes, poſſe aliquem maiorem  
eſſe Abrahamo vel prophetis. Maior vero  
fuiffet, ſi mori non potuiſſet, maximus vero  
ſi id aliis concederet, quod Chriſtus præten-  
dere verbis illis videbatur. O miſeri & ex-  
cæcati homines, an non intellexiſtis, quod  
vtique vos latere nõ debuit, Meſſiam iuxta  
eorundem prophetarum dicta, ſcripta, ſan-  
cita, his omnibus longe excellētiorẽ, iiſq;  
ſuperiorem eſſe debuiſſe? Concludunt.

2.

QVEM TE IPSVM FACIS? Phraſi omni-  
bus ſuperbis, & iracundis communi. Quid  
vero nos hinc: ad noſtrum propoſitum  
colligemus? Multa quæ breuitatis amore in-  
colligimus? Multa quæ breuitatis amore in-

3.

4.



*Magis in  
hæreticis  
qui.*

*1. Alium  
sibi fingunt  
Christum.*

*2. Equivo-  
cationibus  
stuntur.*

*3. Vera ab-  
surdapru-  
tant.*

*4. Phras-  
iudæica &  
tuntur.*

vnum cumulum redigamus. Itaque sicut perfidi Iudæi, ita nostri hæretici. Primo alium sibi Christum fingunt, quàm fuit vel est in rerum natura. Demonstrauimus id aliquando de hæreticis, & in posterum data occasione deducemus; nunc ad finem properandum est. Secundo Equiuocationibus vtuntur. Anabaptistæ & Arriani in verbo Ichoua, Calviniani in verbo Sacramenti, Vbiquitarij in verbo Communicationis Idiomatum. Omnes in verbis inuocationis, adorationis, institutionis, capitis, inferni, fidei (valde) & sexcentis alijs. Tertio multa pro magnis reputant absurdis, quæ ipsissime sunt veritates: vt Anabaptistæ, in diuinis esse vnâ naturam, tres personas: Calvinistæ in Eucharistia esse corpus Christi, & inuisibile, & in pluribus locis: Lutherani esse corpus Christi in Sacramento, etiam si non sumatur: Omnes post mortem esse pœnas temporaneas: sanctos in cœlo scire, quæ nobiscum aguntur, & multa eiusmodi. Quarto, quia illa Iudæica phrasis QVEM TE IPSVM FACIS est nostris quoq; familiaris: Vtuntur enim illa contra Ecclesiam, quod dicatur errare non posse: contra summos Pontifices, quod dicantur esse Vicarij Christi; contra Episcopos, & sacerdotes, quod dicantur consecrare, absoluere, & alia munia obire: contra religiosos, quod dicantur esse



esse continentes: deniq; contra omnes pios  
Christianos, quod dicatur eos per bona o-  
pera posse sibi aliquid mereri. Cōtra hæc &  
similia resonant perpetuò istorum clamo-  
res QVEM TE IPSVM FACIS. Papa,  
Episcopo, sacerdos, monache, &c. quam au-  
thoritatem tibi tribuis? At benè nobiscum  
agitur cum tanto patrono. Etenim dum  
Christus IESVS pro se respondet Iudæis,  
pro nobis etiam satisfacit hæreticis. Audia-  
mus ergo illum diligenter.

RESPONDIT IESVS. Ad has omnes  
quas receo suimus cauillationes.

*Responsum  
Christi da-  
tum Iudæis  
explicatur.*

SI EGO GLORIFICO ME IPSVM.

Id est si ea quæ dixi, me à me ipso habere af-  
fero, eaq; ratione de ijs coram vobis glorior.

GLORIA MEA NIHIL EST. Nul-  
lius est momenti, inanis est & vana. Sed nō  
ita se res habet. Non enim ego me ipsum  
laudo & exalto, verum.

*Quomodo  
pater glori-  
ficat filium  
Philip. 2.9.*

EST PATER MEVS QVI GLORI-  
FICAT ME. Et secundū diuinitatē omnē  
suam gloriam mecū cōmunicando; & iuxta  
humanitatē, autoritatē mihi & nomen su-  
per omne nomē largiendo vt in nomine meo,  
omne genu flectatur cælestium terrestrium & in-  
fernorum. Et vero si queritis, quisnam sit pa-  
ter meus, dicam vobis illum ipsum esse.

QVEM VOS DICITIS QVIA DEVS  
VESTER EST. Quasi dicat, vos quidem  
dicitis



dicitis illum Deum vestrum esse: at in rei veritate vester non est, datq; rationem.

**ET NON COGNOVISTIS EVM.**

*Iudeos non credidisse Deum probatur.* Cognitionē hanc intelligunt doctores per amorem. Id est non amastis eum, non estis ipsius amici; sicut filij Heli. dicuntur filij Belial nescientes Dominum, licet per fidem nosset eum. At possumus fortē dicere Iudæos istos

1. Reg. 2. 12.

1.

2.

3.

Joan. 8. 19.

neq; per fidem cognouisse Deum: tum quod in scriptura sæpe sic cognitio sumatur, tum iuxta illud, quod paulo antē in eodem capite dixerit illis Christus. *Neq; me scitis, neque patrem meum.* Vbi certum est Christum de scientia per fidem loqui, quia nō credebant in eum: tum quod ratio ipsa id doceat. Qui enim filium sibi reuelatum (vt Iudæis istis ipse filius se reuelauerat) non credit, neque patrem, neq; Deum credit. Itaq; quia hi Iudæi, imaginabantur sibi Deum non habere filium, qualis verus Deus non est in rerum natura, meritissimo dicit Christus, **ET NON COGNOVISTIS EVM.** etiam per fidem. De se ipso vero inquit.

*Quomodo Christus nouit patrem.*

**EGO AVTEM NOVI EVM.** Quis & qualis sit. Porro ita nouerat, & nouit patrem filius, vt præter ipsum patrem, & spiritum sanetum, nemo sic eum nosset. Etenim [nulli alij tota nisi sibi soli nota est omnipotens Trinitas] ait Augustinus, docet scriptura, suadet ratio. Hæc

Aug. Med. cap. 29.

secua-



secundum diuinitatem; iuxta humanitatem  
verò nouerat Christus patrem non per fi-  
dem, sed excellentius nempe per uisionem  
beatam quæ lumen obscurum fidei exclu-  
debat. Addit verò Christus.

ET SI DIXERO QVIA NON SCIO  
EVM. Quod tamen dicere non poterat  
propter vnionem hypostaticam.

ERO SIMILIS VOBIS MENDAX.  
Turpe: at omnibus perfidis commune e-  
pithetum.

SED SCIO EVM, modo quem paulò  
ante explicauimus. Insuper.

ET SERMONEM EIUS SERVO. *Responsum  
ad dicta ha-  
reticorum.*  
secundum humanitatem id loquitur. Ita  
enim mandatis patris obediens fuit, imò &  
suis, & spiritus sancti. Hęc pro explanatione  
textus breuiter posita sunt simul, vt melius  
intelligentur. Ià ex dictis respondemus hæ-  
reticis, si ò amici, nos glorificamus nosmet-  
ipsum. *NOTA.  
quæso.*  
ipsum GLORIA nostra NIHIL EST, nec solū  
vana sed & mendax est. At quia & pater &  
filius, & spiritus sanctus est qui sic glorificat  
Ecclesiam sponsam suam, vt & in errore eam  
labi non permittat, & cum ipsa uisibilis sit,  
uisibiles ei pastores dederit; primum quidē  
summum, qui ideo Vicarius Christi dicitur,  
quia Christus uiuit, & illum rectorem totius  
Ecclesie uisibile, loco sui hic constituit, de-  
inde alios pastores, rectores, doctores, quib⁹



*Omnes gra-  
tia Ecclesie  
à Deo.  
IOAN. 1. 12.*

& dedit virtutem, sicut baptizandi, ita & remittendi, aut retinendi peccata. Deniq; dedit singulis potestatem filios Dei fieri, & operibus quæ inde procedunt dedit vim merendi aliquè gradū vitæ æternæ: si in quâ hæc vniuersa, & multa alia dona, ac beneficia dedit Deus per Iesum Christū filium suum Ecclesie, & membris eius, prout dedit certissime: quis nisi ingratus contradicet Deo, aut dicet, cur ita fecerit, sponsamque suam glorificauerit? Verum ista vos non agnoscitis, imo blasphematis, quia NON COGNOVISTIS EVM, quem DICITIS QUIA DEVS VESTER EST, amoremq; ipsius quem habet erga spōsam suam. Nos vero qui in Ecclesia Catholica sumus, nouimus eum, & si dixerimus nos non nosse illum, ea ratione qua ipse se nobis per Ecclesiam cognoscendum tradidit, erimus similes vobis mendaces, sed nouimus eum, & pro tantis benefactis quas possumus, gratias illi referimus. Hoc igitur sit nostrum vobis datum responsum, quod vtinam vobis placeat, vt & vos tantorū donorum & gratiarum Christi, vna nobiscum participes esse queatis. Faxit Dominus Iesus. Sed reliqua Euangelii persequamur. Itaque his dictis adiungit Christus responsum ad illud de Abrahamo quod ei Iudæi obiecerant, Probatque se maiorem illo esse. Ait enim.

ABRA-



ABRAHAM PATER VESTER EXULTAVIT, id est, summo desiderio concupivit, quod vos nunc tanquam degeneres eius filij, summa impietate fastiditis.

VT VIDERET DIEM MEVM. Diem videlicet incarnationis, vt communiter Patres interpretantur. Id enim & initium fuit totius boni, & ipsum latificare potuit, cum sciret ex semine ipsius Deum nasciturum.

*Abraham  
dupliciter  
vidit diem  
Christi.*

ET VIDIT, ET GAVISVS EST. Quando vel quomodo vidit? Duplici tempore, & duplici ratione id vidit. Primo cum hic esset superstes vidit per reuelationem, verbum diuinum corpus ex lumbis eius sumpturum, sibi que hypostaticè vniturum. Proinde cum idem Abraham iuramentum exigeret à seruo suo, ait ad illum. *Pone manum tuam subter femur meum, vt adiurem te per Dominum.* Et idem fecit iacob cum filio suo Ioseph, qui itidem iurauit illi posita manu super femur eius. Iurarunt autè per Messiam, qui & Deus esse debuit, & in lumbis vtriusque tum temporis latuit, vt pulchrè D. Augustinus, & alij notant. Ita ergo vidit & Abraham, & iacob diem Christi & gauisi sunt. Secundo viderunt etiam illum, vt reor, dum hinc Christus viueret, nempe per relationem, tum Simeonis senis, & Annæ, qui Iesum infantem in manibus portarunt, tum Zachariæ patris

*1. Dum vi-  
ueret ipse.*

*Gen. 24. 2.  
Gen. 47. 29*

*2. Dum vi-  
ueret Chri-  
stus.*



Ioannis Baptistæ: tum Iosephi patris Iesv putatiui: tum aliorum qui hinc in sinum Abrahamæ migrabant, & lætissima noua, de aduentu & gestis Messia referebant. Si enim impius ille epulo per chaos interiectum vidit & allocutus est Abrahamum, quantò magis credendum est, sanctos Patres qui simul erant dulces secum habuisse sermones. Hic insinuare libet (nam copiosè tractandi locus non datur) signum veræ fidei & Ecclesiæ, fuisse & esse credere sanctos qui ex seculo migrarunt, posse scire quid nobiscum agatur, si olim multò magis nunc, cum in caelis vident faciem patris cœlestis. Id nos profite-mur, hæretici vero negant, & ita negant, ut qui perfecti sunt illorum, quidam inquam Anabaptistæ asseuerent animam simul cum corpore emori, sicut in eorum libellis ipse legi. Sed pergamus.

*SEXTVM  
SIG. EC.  
clesiæ cre.  
dere.  
XII. SIG.  
SYNAG.  
non credere  
posse scire  
mortuos  
quid hic a-  
gatur.*

DIXERVNT ERGO IVDÆI AD EVM. Semper sui similes, & nunquam Christi verba rectè intelligentes. Ista est enim poena peccati infidelitatis, quam in nostris hæreticis ad oculum videmus, magis etiam quam in ipsis Iudæis. Isti enim cum dicunt.

QUINQVAGINTA ANNOS NONDVN HABES, ET ABRAHAM VIDISTI, aliquid ad rem loqui videntur, nostri vero sæpe nihil penitus. Cum enim Abraham ante tria millia



millia annorū circiter mortuus fuisset, probabiliter videbantur concludere; sed iuxta suam intelligentiam, & non secundum veritatem. Ecce tibi originem omnis erroris, nempe variam, & minus rectam verborum Christi intelligentiam, quod & hīc iam non semel animaduertisti, & in hēreticis vides sapissimè. Hunc errorum fontem, ut nos effugiamus, non nostro ingenio, nobiscue simili priuato, sed eorum quos Christus nos iubet audire in interpretatione scripturæ stamus iudicio, propterea etiam si erraremus (quod non fit) excusabiles essemus, quia quod iussi sumus egimus. Idē si nobiscum facere vellent hēretici, statim fierent Catholici, erroresque deponerent. Sed secus fit, malunt enim Iudæos istos imitari duplici ratione: tum iam dicta: tum peruertendo verba Catholicorum, sicut isti Christi. Dixerat Iesus Abrahamum vidisse diem ipsius. Iudæi vero quasi dixisset, se Abrahamum vidisse (quod vtique longè est diuersum) concludunt, **ET ABRAHAMVM VIDIISTI.** vt melius currat calumnia. O quam id frequens apud hēreticos, imo frequentissimum, & in rebus longe grauioribus. O quam multos præsertim simplices, & dialecticæ ignaros ita decipiunt. Ideo cauendi. Sed quarunt hīc Patres, cur Iudæi quinquaginta annorum faciant mentionem, cum certum sit Christum

*SEPT. SIG.*  
num Eccle-  
siae, Fontem  
errorum  
fugere.

*XIII. SIG.*  
*SYNAG.*  
duplex.  
Tum hūc  
cōtrarium,

*Tum per-  
uerrere di-  
cta Catho-  
licorum.*

*De 50. an-  
nis Christi.*



*Euseb. lib. 3.  
hist. cap. 39  
Baron. to. 1.  
Anno Christi  
s. 34.*

Christum trigessimum quartum non excessisse, ut omnes sentiant præter Irenæum, qui aut à Papia (quem apocrypha quædam tradidisse refert Eusebius) deceptus fuit, aut in scripta eius mendum irrepfit, ut probat Baronius. Porro ad quæstionem responsio illa est aptissima, Iudæos securè quod dicitur ludere voluisse; ideoque multo plures annos posuisse, quam scirent Christum habere. Quia etiamsi id verum fuisset, Christus tamen Abrahamum videre non potuisset. Cæterum ad hæc.

DIXIT EIS IESVS, directè ad quæsitæ eorum respondens.

AMEN AMEN DICO VOBIS, ANTE QUAM ABRAHAM FIERET, EGO SVM. Evidenter asserens se Abrahamo & excellentiorem, & antiquiorem esse, imo Deum: quod ipsi cognouerunt Iudæi, quapropter.

*Cui Iudæi  
ad lapides  
currunt.*

*Joan. 10. 32*

TULERUNT LAPIDES VT IACERENT IN EVM, nempe ut tanquam blasphemum lapidarent. Id enim alibi ipsi testantur. Cum enim dixisset eis Iesus, *Multa bona opera ostēdi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis? Respondent ei Iudæi. De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, & quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum. Quæ miseri & excæcati sunt tã noui quam veteres Arriani, qui Christianos se vocitantes, non intelligunt quod crucifixoress Christi intellexerunt. Itaque duas hîc habemus notas, pro fide contra*



tra perfidiam. Alteram peculiarem contra  
 dictos hereticos diuinitatem Christi negan-  
 tes. Diuinitatis autem Christi hic sunt exi-  
 mia documenta. Primum quod dixi, nem-  
 pe tam clarè id professum esse Christum, vt  
 nec Iudæos latuerit. Secundo in illis verbis.  
 EGO SUM, quibus alludere videtur ad illud  
 Dei ad Moysen, *Ego sum qui sum*. Vt sancti  
 Patres, & res ipsa docet. Quamuis enim non  
 addatur hic, *qui sum*, insinuatur tamen. Ita-  
 que Dei sibi nomen vsurpans, Deum se esse  
 testatur. Tertio cum fatetur se fuisse ante  
 Abrahamum, non vtique secundum huma-  
 nam naturam, vt omnes consentimus, iuxta  
 diuinitatem igitur. Quarto, cum eundem  
 Patrem suum, quem Iudæi unum Deum nun-  
 cupat, se vero naturalem esse ipsius filium,  
 & Deum de Deo demonstrat. Deniq; idem  
 præstat cum humanitatem suam diuinitate  
 contegit, ita vt à nemine videatur. Altera  
 nota generalis est, contra omnes hereticos,  
 qui cum illis alia non suppetunt argumenta,  
 Primum quidem cum Iudæis istis, ad calum-  
 nias, altercationes, cauillos quorum hîc cu-  
 mulum habuistis, deinde ad vltimum suum  
 durum ERGO confugiunt quod non ex ver-  
 bis, sed è lapidibus constat, vt audistis in Iu-  
 dæis qui TVLERVNT LAPIDES VT IACE-  
 RENT IN EVM. Idem in hæreticis apparet  
 miro astu dæmonis. Ij enim vt venenū suum  
 inter

XIV. SIG.  
 SYNAG.  
 Diuinitatē  
 Christi ne-  
 gare.  
 Probatur  
 contrarium  
 ex Enang.  
 rationib.  
 quinq;  
 Exo. 3. 14.

XV. SIG.  
 SYNAG.  
 Durum  
 ERGO.

Ita Iudæi.

Ita heretici  
 miro astu  
 dæmonis &  
 vario.



inter Catholicos spargant, identidem in-  
clament, liberum debere esse Euāgelium, pro-  
banda omnia, & quod rectum est tenēdum;  
neminem ad fidem cogendum, sed consci-  
entiæ cuiuslibet id relinquendum; qui secus  
faciunt tyrannos esse. At postquam maio-  
rem suorum quam Catholicorum partem  
esse animaduernerint, omnium horum obli-  
ti, ad durum illud ERGO recurrunt, lapides,  
ferrum, patibula, ignes, exquisitissima quæq;  
tormenta, & quod leuissimū est exilium, vel  
personarum, vel antiquæ religionis parant,  
arripiunt, perficiunt. Quod si id nequeunt,  
verba quædam inaudita inueniunt, quibus  
simplices, qui ab illis ad fidem Catholicam  
remeare volunt mirificè terrent, etiā si ab eis  
nō intelligantur. Eiusmodi verbum est Ma-  
maluchi, quo nūc passim Lutherani utuntur,  
ad quod tanquam inauditū, ut sit, plebs ob-  
stupescit, atq; ita in perfidia hæretica retine-  
tur. O quantis clamoribus & repetitionibus  
Mamaluchos, Mamaluchos vocant, qui ad  
fidem antiquam ab illis reuertuntur. Cum  
non hi, sed illi, qui impropērāt veri sint Ma-  
maluchi. Hoc enim verbum in sua origine  
designat, mutabilem desertorem Chri-  
stianæ religionis, & ad perfidiam (præser-  
tim Mahometanam) transitum, quod ad-  
missim istis competit. Probari id multis ra-  
tionibus posset, sed vnum nunc quod præ-  
manibus

*Hæretici  
Mamaluch-  
chi.*



manibus habemus sufficiat. Si quilibet in libertate conscientiae suae conseruandus, cur vos in ciuitatibus liberis Germaniae, Belgij, imo nonnullis etiam nostris, ex centum templis quae eripuistis hac fraude Catholicis ne vnum quidem liberum eis ad religiosos coetus habendos relinquitis? Si nemo ad fidem est cogendus, Cur Catholicos in Anglia, & alibi vbi potestis, carcerib., ergastulis, patibulis, incendio ad vestram perfidiam adigitis? O Mamaluchi pessimi, aliud mane aliud vesperi afferentes, & cum argumeta desunt, ad armamenta contra vestrammet professionem, & doctrinam recurrentes. Utinam aliquando tandem, & astus daemone agnoscat, & a tyrannide cessetis. Sed videamus quidnam Christus ad hoc durum ERGO respondeat.

IESVS AVTEM ABSCONDIT SE ET EXIIT DE TEMPLO. Quomodo id factum fuerit iam dixi. Quomodo haeretici loco isto abutatur, iam etiam insinuavi. Quomodo Catholicici hac in parte Christum, & electos eius imitari debeant, docent nos & sacrae literae, & scripta, atque exempla Sanctorum. In quibus admirabilis fuit D. Athanasius, qui & homiliam mirandam sane hac de re edidit, & ipse mirabilia hac in parte est operatus. Eum nos imprimisque vero Christum IESUM, imitemur, & quando non est

*Christus in actu suis. mo Euan-gelij quomodo imitandus.*

neccesse,



neceſſe, vel nondum hora noſtra venit, uti-  
 litati Eccleſiæ nos referuemus, quando vero  
 à Chriſto vocamur libenter pro eo ſangui-  
 nem noſtrum fundamus, qui diuinum ſuū  
 pro nobis, magna cū charitate fudit, Chri-  
 ſtus Ieſus Dominus noſter, qui cum Patre in  
 vnitare Spiritus ſancti viuit & regnat Deus  
 in ſæcula ſæculorum, Amen.



DVO VE-  
 XILLA.

## CONCIO III.

S P E S.

*Cur de his  
 agendum.*

**E**Rigente hac Dominica die Eccleſia ve-  
 xillum ſacrum, in ſuper & canente [ ve-  
 xilla regis prodeunt ] non abs re me factu-  
 rum arbitratus ſum, de vexillis ſermonem  
 hodiernum ad vos inſtituere, præfertim cum  
 etiam alterius illorum typus non deſit in E-  
 uangelio. Duo enim vexilla videor mihi vi-  
 dere in eo. Vnum Chriſti Ieſu optimum, ſub  
 perſona & dictis eiſdem ſeruatoris. Alte-  
 rum nequam ſub dictis factisque ipſorum  
 Iudæorum, per quos Sathan contra Chri-  
 ſtum arma mouet ſua. Quod vero facit ca-  
 piti noſtro Ieſu, facit & nobis mēbris ipſius,  
 tum



tum per seipsum, tum per similia his Iudæis  
instrumenta.

Quare de duobus vexillis est sermo meus *PROP.*  
hodiernus, ad vos fratres mihi in Christo di- *Punctata.*  
lectissimos. Nec de nudis vexillis tantum, sed *continet.*  
& de omnibus, quæ ad illa pertinent, nempe,  
de imperatoribus qui ea exigunt, belloque  
spirituali, quod adornant, de causa belli, de  
ducibus quorum opera præcipuè vtuntur ad  
conuocandos regendosq; sibi subiectos po-  
pulos, de militibus quoq; gregariis, nec non  
de tessera militari, de neruo belli, de bestiis  
quibus insidetur, de armis cæterisq; bellicis  
instrumentis ad conflictum spectantibus, de  
pugna ipsa, deq; effectibus. Da Christe Iesu  
ita hæc consideremus, vt sub vexillo tuo for-  
titer dimicantes, & hic in spe viua, & illic in  
re vera felicem triumphum in gloria tua a-  
gere valeamus.

Bellum istud spirituale, de quo agere de- *I. PVN.*  
creuimus, est bellum, quo generalius, acrius, *CTVM*  
pertinacius, nullū. Generale est, quia inuol- *Bellum.*  
uit totū humanū genus, ac proinde quot- *Generalis-*  
quot sunt, fuerūt, futuriue sunt mortales ra- *simum.*  
tionis participes eius participes esse debent.  
Acerrimum est, tum quod in eo non de cor- *Acerrimū.*  
porum modo & fortunarū, vt in aliis bellis,  
sed etiam de animæ, atq; adeo de tota salute  
nostra, decernatur: tum quod à nemine vi-  
tari queat. Proinde aut certandum aut pere- *Pertinacis-*  
undum. Est denique pertinacissimum, quia *simum.*



in singulis quidem hominibus non nisi vita cuiusuis; vniuersim vero de omnibus loquendo, non nisi totius orbis sine ac termino terminatur. Imaginari nos itaque oportet exercitus absque numero, vtrinque à dextris & sinistris in acie consistentes.

*II. PVN-  
CTVM  
Imperat.*

*PRIMVS  
is qui fuit  
sine peccato.*

*Quid sit  
peccatum.*

*Aug. lib. 22  
contra Fa-  
stium*

*M. m. 6, 27.*

*Exemplū.*

Horum summi Imperatores, qui bellum istud adornant, promouent, perficiunt, sunt illi ipsi qui olim duellum inter se commiserant, in personis propriis, prout prima Dominica, huius sacri Quadragesimalis temporis audiuiistis. Consideremus vtrumq; paulo diligentius. Itaq; illius qui à dextris est exercitus Imperator est is qui in principio Evangelij hodierni inquit. QVIS EX VOBIS ARGVET ME DE PECCATO. Quod dictum vt penitius intelligatur declarandum est quid sit peccatum. Id vero Augustinus describens ait: Peccatum esse [dictum, factum vel concupitum contra legem æternam] Vnde colligimus peccatū ex duobus quasi esse compactū, nempe ex re existente, & non existente. Illud est natura sua bonum, & comprehendit tria illa, quæ prior pars descriptionis habet: hoc vero nihil est, in quo tamen formale quod dicitur peccati consistit, delineatū trib. postremis verbis ab August. Rem vt omnes intelligant, exēplo declaremus. Est tibi seru<sup>o</sup> cui aliquid operis cōmittis, q̄ ipse non facit, facit tamē interim quidpiā aliud. Is peccasse cōtra te dicitur, formaliter quidē quia nihil egit



egit corū quæ præcepisti, materialiter vero, quia aliquid aliud tunc operatus est. Ita in omni peccato cōtra Deum cōmissō res se habet. Hinc fit quod si quis careret dicto, factō, & concupito, id est q̄ concupiscere non posset, talem etiā peccato cariturū. Concupitū autē hic sumimus, non pro sensuali, sed pro intellectuali, quæ voluntatē sequitur concupiscentia. Eam si quis non habet, ut bruta animalia, vel habet quidē sed impeditā, ut fit in dormiētib⁹ vel insānis, is omnino nō posset peccare, etiā si diceret, vel faceret aliquid prohibitū. Sicut nō peccat siue psitacus, siue homo mēte captus proferēs verba blasphemie. Quare? quia deest illis materiale peccati, hēpe voluntas libera, quæ dicta, facta, & concupita libera procreet. Talia .n. ad peccandū requirūtur. Quod si vero inueniretur quis piā, qui & loqui & facere, & concupiscere intellectualiter ac volūtariē posset, sed nō posset id facere [cōtra legē æternā] is multo magis impeccabilis esset, quia eo q̄ formale est in peccato careret. Eiusmodi porro fuit, qui hæc verba, **QVIS EX VOBIS ARGVET ME DE PECCATO** protulit, Christus Iesus Dñs noster. Cui id duplici nomine cōpetebat. Primo iā explicato: secundo, quia ab insāni cōceptionis suæ fuit beatus. Primū docet D. Athanas. D. Cyrill, & alij. Secundū D. August. Primus modus explicatur. Quāuis .n. Christus homo fuerit, humanæ autem naturæ

*Qui non pō  
test peccare  
materiali-  
ter.*

*Qui non pō  
test peccare  
formaliter.*

*Talis Chri-  
stus Iesus.  
Duplici dā  
causa.*

*Athanas.  
lib. de Incar-  
nat. Cyrill.  
lib. 10. in  
Ioan. c. 40.  
Aug. lib. 22  
de ciui c. 30.  
Prior expli-  
catur huc  
magis spē-  
tans.*



competebat posse peccare: tamen quia idem Christus diuinum fuit suppositum, actiones vero sunt suppositorum, ut & philosophi, & ipsa ratio, & experientia docet; (non enim natura, sed Petrus aut Paulus ambulat, ratiocinatur, & quoduis opus agit) ne in Deum peccatum redundaret, Christus Dominus verus Deus, propter vnionem hypostaticam carnis cum verbo peccare nullo modo potuit. Inuoluit enim contrarietatem apertissimam, ut aliquid contra legem æternam agat is qui ipsa est lex æterna. Eiusmodi vero est Christus Deus. Hæc paulò fufius & subtiliùs: tum quod debitores etiã sumus sapientibus: nũ vt verba Christi melius intelligantur, tum vt ostendatur, qualis sit hic Imperator. Qui præterea est in se verax, imo ipsa veritas: sapiens, imo ipsa sapientia, omnipotens imo ipsa omnipotentia. Est etiam secundum humanam naturã mansuetissimus, humillimis, patiẽtissimus. Est erga alios misericors, liberalis, & charitate plenus. Quæ omnia vel penè omnia in Euangelio reperimus. Talis igitur, tantusque est, eius qui à dextris est exercitus Imperator. Quis ad feruendum illi spe sancta non incitetur? Faciamus id obsecro.

*Cur hæc tractent.*

*Rom., t. 14.*

*Alia Christi proprietates.*

*¶. Spei stimulus.*

*ALTER Imperator totus è peccatis.*

Ex aduerso illius qui à sinistris est numerosissimus exercitus imperatorem agit ipse Lucifer infernalis, qui è contrario dicere potest.



test. Quis ex vobis non arguet me de peccato? Ita enim peccatis est oblitus, vt ex illis conflatus videatur totus: & sicut princeps primi exercitus nō potest peccare: ita iste ex opposito in omnibus operibus suis, non potest non peccare. Non quidē respectu naturæ suæ quæ bona à Deo creata, & gratia à principio dotata fuit: sed respectu volūtatis suæ sic in malo obstinatæ vt quicquid agit odio sui creatoris, in despectū ipsius agat. Inde fit vt præter naturā nihil in eo boni reperias. Est enim *homicida ab initio*, vt illum Saluator noster appellat. Est eodem ibidē teste *mendax & pater mēdaciū*. Quo nomine ipse etiam Sathan se insigniuit, cum loquens ad Deum inquit. *Ero spiritus mēdax in ore omnium prophetarum eius*. Achabi videlicet pessimi Idololatræ. Est insipiens. Est impotens adeo, vt etiam à pueris, hoc præsertim Euangelij tempore cōteratur, quod pulchrè & mirificè notauit Isaias prædicens quod nunc fieri videmus, cum ait. *Et delectabitur infans ab vberibus super foramine aspidis, & in cauernam reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet, per alpidem & regulum Cacodæmonem, per infantem iuuenes imo puerulos Christianorum intelligens, qui mirādo sanè modo, diabolum & ex latebris suis extraxerunt, fraudes ipsius pandendo, & delectabiliter cum eo luserunt, impotentiā ei exprobrando.*

*Non natura  
rā, sed man-  
lita.*

*Ioan. 8. 44  
Homicida.*

*Mendax.  
3. Reg. 22.  
22.*

*Imbellis.*

*Teste scri-  
ptura.  
Isa. 11. 8.*



*Et multis  
Exemplis,*

do: & cum contriuerunt, nec ipsi solum, sed etiam exemplo suo alios id docuerunt. Exemplorum plenæ sunt historiæ, de puerulis septem, octo, decemue annorum, ad martyrium cum parentibus properantibus, de Hilarione sexdecem annorum iuvene, aliisque similibus, quos cum Sathan cum fœdis exercitibus suis turmatim inuasisset, ipsi risu eum exceperunt, ac imbecillitatem ei obiecerunt, quod tot ad vnum debellandum nõ sufficerent; De Prisca item, Agnete, cæterisque fœminei sexus tenerrimis virgunculis, quæ ad crudelissima supplicia tanquam ad epulas properabant pleni sunt libri. Quid ni igitur nos quoque spe optima freti, cum tot euentis armati aggrediamur, profligemus, conteramus? Est præterea Sathan inuidus: Nam *inuidia diaboli mors introiit in orbem terrarum.* Est superbus, impatiens, crudelis. Nonne id tum ante duas hebdomadas, audistis in Euangelio & concionibus, tum in Iob vidistis? Et vero si tam crudeliter tractat corpora quæ ossis ad instar sunt cani illi infernali, quid putas cum anima eum facturum, quam affligere delicias suas computat? Denique est nocendi cupidus, propterea teste Apostolorum principe, *tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* Pudeat pigeatque tanto nebuloni seruire, & militare.

*2. Spei stigmatus.*

*Sap. 2. 24.  
Item Sathã  
inuidus.  
Crudelis.*

*Nocendi  
cupidus.  
3. Pet. 5. 8.*

Quod



Quod si de causa, & ansa belli, inter hos Imperatores perconteris; Noris eam non esse Meum & tuum, honorisue mundani appetitum, pro quibus à principibus huius mundi semper decertatur: at esse vnum verbum, quod in principio Euāgelij expressum habes, nempe PECCATVM. Istud cum omnibus suis expugnat qui à dextris est, hoc propugnat, qui à sinistris. Tolle peccatum ex hominibus, & pugna cessabit. Quemadmodum quia in cœlesti patria peccatum nullum est ideo nec belli quidem vllum est ibi vestigium. Hoc credimus ideoque ad illam aspiramus & aspirando, ac suspirando peruenturos nos eo speramus, sed non sine mediis, de quibus paulo post.

Descripsi Imperatores, causamque ac momentum belli assignavi, vultis duces, Chiliarchas, cœturiones, decanos? Isti vtrinque duplices, alij inuisibiles, visibiles alij. Alij sunt angeli boni & mali, q. occulte instillāt, incitāt, inflammant: boni quidem optima, mali vero pessima desideria subministrantes. Imo aliquando ipsi inter se de nobis concertant. Exemplum dant quidā illud ex Daniele de Gabriele, cum principe Persarum decertate: at probabilius est, ibi vtrumque bonū angelū fuisse, vt & alias dixi. Possumus tamē inde colligere. Si etiā boni de nostro bono inter se decertant, quamdiu de voluntate Dei illis

*III. PVN-  
CTVM  
Causa belli.*

*3. Spei sō-  
mulum.*

*IV. PVN-  
CTVM  
Duces, &c.  
Hi dupli-  
ces.  
1. Inuisibi-  
les qui in-  
ter se con-  
certant.  
Exemplū.  
Dan. 10. 13.*



non constat: Sicut ibi princeps Persarū suos Persas, quorū aliquos ex conuersatione cum Iudæis ad Deum conuerti videbat defendebat, cupiebatque ne Iudæi inde discederent; Gabriel vero pro Iudæis, vt ad terram promissionis reuenterentur stabat, Deumque exorabat: quanto magis boni cum malis pugnant, quando nos ab istis oppugnari vident? Clarum huius rei exemplum est apud Zachariam Prophetam, vbi tam Angeli Domini, quam Sathanæ singillatim sic mentio, circa Iesum sacerdotem magnum digladiantium. Quis vero vtriusque partis est finis? Is primario, vt ij quidem qui sunt à sinistris (sic dico communi loquendo modo quamuis apud Zachariam à dextris Sathan stetisse narretur) per suggestionem malorum operum, ad alterutram illarum desperationum speciem, quarum in prima concione mentionem fecimus nos impellant: boni vero angeli qui sunt à dextris, vt per exercitium bonorum operum, spem in nobis firmam erigant. Hos igitur audiamus, & inuocemus, illos autem detestemur & fugiamus.

Visibiles vero Duces vtrinque sunt varij. Agamus principio de iis qui à dextris, & præmittamus duplicem distinctiunculam, nempe tum Ducum, tum ductus. Et duces quidem alij sunt quibus ex officio id incumbit, alij qui sponte, & sine obligatione

*Aliud clariss.*

*Zach. 3. 1.*

*Scopus & errorum.*

*4. Spei stimulus.*

*2. Duces & visibiles.*

*Duplex distinctio.*



tione id faciunt: ductus vero siue deducen-  
 di ratio multiplex est: at nos hoc tempore  
 duplici contenti erimus, doctrina videlicet  
 & exemplo, ad quæ tamen multa alia refe-  
 runtur. Itaque supremi ductores & rectores  
 Christi exercitus sunt, qui & doctrina & vi-  
 tæ sanctimonia præminent, proinde quo-  
 quis in utroque est præstantior, eo dux est  
 excellentior, maxime si id ipsius muneris est,  
 quia aliis prælatus est. Gradus sunt isti: Su-  
 premus debetur supremo Imperatori Chri-  
 sto Iesu, qui & olim fuit visibilis, & nunc va-  
 riis nos regit modis. Eum iam descripsimus,  
 & ipse se in principio Euangelii, viuis de-  
 pingit coloribus. Summus in doctrina, in  
 veritate, in autoritate: summus in vitæ san-  
 ctimonia, quippe qui hostibus suis libere &  
 vere dicere potuit. **QVIS EX VOBIS AR-  
 GVET ME DE PECCATO.** quique non  
 solum non peccauit, verum etiam nulli pec-  
 cato obnoxius esse potuit vnquam. Secun-  
 dus gradus iuste dabitur matri imperatoris,  
 & imperatrici nostræ Mariæ virgini matri.  
 Cui etiam si ex officio non competeret re-  
 gere Ecclesiam Dei: ductrix tamen fuit mo-  
 dis variis: In primis vero cum doctrina, quæ  
 tanta fuit, vt merito Magistra Apostolorum  
 & Euangelistarum dicatur: tum vitæ san-  
 ctimonia, in qua adeo enituit, vt & ipsa po-  
 tuerit dicere. **QVIS EX VOBIS ARGVET**

*Qui duces  
optimi.*

*Gradus im-  
per eos.  
1. Supremi  
Monarchæ  
Christi Ie-  
su.*

*2. Impera-  
trix B. M.  
Virginis.*



ME DE PECCATO? Non solum enim caruit omni peccato, mortali, veniali, originali: Sed neq; habere illud potuit, confirmata in gratia, ab ipso instanti conceptionis suæ. Par ergo fuit Christo? Minime. Sed illi soli secunda, hic quidem duplici nomine, alias multis. Tum quod quicquid habuit, à Christo habuit, qui hac ratione & potuit & voluit sanctificare *tabernaculum suum*, ipse *alissimus*. Tum quod impeccabilē esse, Christo quidem competeret. ex ipso personæ diuinę fonte, propterea nullum peccatum habere potuit. Beata vero virgo mater Dei, potuit illud habere & habuisset, si præseruata & in gratia confirmata non fuisset. Deniq; nunc licet sit nobis inuisibilis, iuuat tamen Ecclesiam Dei: tum vitę sanctimonia quam recolimus: tum intercessione sua, qua multas nobis impetrat gratias. Ad illam igitur tanquam spei nostrę primam post Christum anchoram & feruenter, & diligenter recurramus.

Tertius gradus debetur Apostolis, quos Dominus Iesus constituit *principes super omnem terram*, proinde ex officio id illis cōpetebat. Quibus non inepte adnumerabimus: eum prodromum Christi, Ioannem Baptistam, tum Barnabam, Silam & si qui sunt alii. Qui omnes in illis duobus plurimum excelluerūt. Fuit enim in illis doctrina infusa

per

*Qua hic in  
fessor Chri-  
sto duplici  
ratione.*

*Pf. 45. 5.*

*5. Spei sti-  
mulus.*

*3. Apostolo-  
rum & qui  
confirmati  
in gratia.  
Pf. 44. 17.*



per aduentum spiritus sancti maxima: fuit & vita sanctimonialis, vt & ipsorum quilibet dicere potuisset aduersariis. **QVIS EX VOBIS ARCVET ME DE PECCATO?** Nam et ipsi peccare non potuerunt, quauis longe in gradu inferiori id habuerint quam Deipara. Primo quia omnes in peccato originali concepti, secundo quia a peccato veniali non erant liberi, tertio quia quidam Apostolorum olim et mortaliter peccarant grauius, vt Petrus, Paulus, Thomas; quarto quia tardius confirmati in gratia (hoc vero est non posse peccare saltem mortaliter) Apostoli in die Pentecostes, Ioannes Baptista in utero matris per aduentum ad illum filii Dei, Mater vero Dei in ipso instanti conceptionis vt diximus, nec quicquam de hoc dubitamus, id beneficii affecta est. Maximi tamen hi Duces fuerunt dictis de causis: tum quod *primitias spiritus* acceperunt, quod magni facit Apostolus Paulus: tum quia plus aliis laborarunt: tum denique propter miracula. Quartus gradus est successorum ipsorum, non quidem omnium, sed illorum, qui & doctrina eximia regerant ecclesiam Dei, & vite sanctimoniam ita eminuerunt, vt licet peccare potuissent, non peccarunt tamen, vnde & ipsi haec verba Christi suo modo dicere potuerunt. Talibus duplicem honorem debetur testatur Apostolus cum inquit, *Qui bene praesunt* (Bene autem nemo pra-

*Differentia  
4. inter hos  
et B.M.V.*

*4. Successorum  
Docto-  
rum et pio-  
rum.*

*Hi duplici  
honore di-  
gni.*



præesse potest nisi ipse sit bonus, alias enim  
semper deerit aliquid) *presbyteri duplici ho-*  
*nore digni habentur, maxime qui laborant in*  
*verbo & doctrina.* Eiusmodi magnus nume-  
rus & fuit semper, & est per gratiam diuinâ  
hucusque in Ecclesia, fremant licet & calu-  
mnia omnes dæmones, cum suis mini-  
stris hæreticis, nunquam tamen hanc eua-  
cuabunt veritatem. Quintus gradus est il-  
lorum, qui idem præstant non quidem offi-  
cii, & obligationis suæ ratione. Sed ex cha-  
ritate, ut sunt religiosi, & his similes. Sextus  
exemplo præest & ducatum præbet per bel-  
lum, qui omnino innumerabiles utriusque  
sexus: tum martyres, confessores, anachore-  
ta, virgines, viduæ, tum reliqui omnes qui  
vitæ sanctimonia alios ædificant. Postremû  
gradum dederim illis, quibus quamuis prin-  
cipatum gerere in hoc Christi exercitu cõ-  
petat ex officio: attamen vel id non præstât,  
vel doctrina tantum ducatum præbent, e-  
uenitque haud raro, ut quos verbo ad pu-  
gnam animant, eos opere & malo exemplo,  
ad castra inimici transire faciant. Miserabile  
sane genus principû. Contra quos tot sunt  
SS. Patrum scripta & fulmina, quot vix nu-  
merare queas. Solus certe pastor & ipse pa-  
storum D. Gregorius Magnus, plurima ha-  
bet. Ad hunc itaque & ad alios hosce remit-  
to; ego spe sancta concludo & hortor, ro-  
goque

5. Religioso-  
rum & simi-  
lium.

6. Exemplo  
regentium.

7. Pastorû  
inceptorum.

8. Spei sti-  
mulus.



goque omnes, quotquot sunt, ut in aliquo priorum generum gradu reperiri ac perdurare velint, certa que spe salutis sint animati. Sed neque postremi desperent, si enim ad ea quæ docent ipsi quoque pollicem suum applicuerint, spe bona fruuntur.

Duces sinistri exercitus intueor: breuiterque gradus hic quoque noto. Perfectissimus (imperfectissimum, & iniquissimum potius dixeris) est illorum qui ex malitia: tum doctrina mendaci: tum vita nequam inficiunt, & ad castra diaboli quos possunt impellunt. In hac palæstra primus locus debetur hæresiarchis, ex malitia ut dixi peccantibus, & ex odio contra Ecclesiam Dei. Qui (sita loqui licet) fuerunt confirmati in malo, sicut contra Apostoli erant firmati in bono. Secundus gradus similis priori, imo forte peior eorum, qui ad promouendam doctrinam mendacem, vitæ sanctimoniam simulant. Eiusmodi plerumque Anabaptistæ, qui tamen facile se produnt cum tanguntur. Tertius qui non quidem ex malitia, sed ex crassa quadam ignorantia, id ipsum quod priores præstant. Hic Ministrorum diaboli (quos non inepte sinistros dixeris) ingens numerus, quorum tamē haud pauci, ad primum gradum pertingunt. Quartus illorum qui licet bene credant, sunt tamen tam scelesti, ut alios ad scelera patrandam

*Duces qui  
à sinistris.  
1. Gradus  
hæresiarchis  
vini.*

*2. Similium.*

*3. Sinistrorum.*

*4. Pessimorum  
Catholicorum.*



da iocis, verbis, minis, verberibus cæterisque  
malis artibus impellant. Quibus adnume-  
res velim, qui bene viuentes oderunt, eisq;  
detrahunt, & maxime qui eos qui salutem il-  
lorum procurant persequuntur & è medio  
tollunt, si non naturaliter: at moraliter, non  
permittentes illos suo rite fungi officio. Istos  
cum quadam sancta non incongrue diabo-  
los incarnatos vocaueris. Postremi sunt (ne  
*Nequam.* mala multiplicentur) qui exemplo pessimo  
præeunt aliis peccata patrans, & de iis glo-  
riantes. Ad hos gradus reduces omnes hu-  
ius farinae viros ac mulieres, nec est quod  
pluribus nos hic occupemus.

*V. PYN-  
CTVM  
Militēs gre-  
garis.  
Omnes ho-  
mines.*

Ad milites gregarios accedo, qui vtrinque  
numerosi. Nam vt dixi à principio Omnes  
homines rationis compotes, in his duobus  
exercitiis continentur. Nemo ab hoc cer-  
tamine excusatus, nemo liber, nemo neuter.  
Si Christi miles non es diaboli es certissimo.  
Fingant sibi libertini quam volunt genera-  
lissimam fidem: fingant alii communem quã-  
dam, & late patentem viuendi rationem, du-  
bium nullum est, & hos & iis similes vniuer-  
sos, in castris Sathanæ esse. Qui igitur sunt  
*Christi qua-  
les.* milites Christi Iesu? Il videlicet qui qualis  
est Imperator, ipsi quoque tales esse conan-  
tur, conatus eorum iuuante, & vires largi-  
ente Deo. Neque enim Deus noster est, vt  
Diligentium, neque Christus Iesus, vt mun-  
dant



dani principes, qui bellum adornare, certamen indicere possunt: at vires & animum ad bellum concedere nequeunt. Potest hæc omnia, & plura quam cogitare valemus, tribuere Christus Deus imo *dat omnibus affluenter, & non improperat.* Ad illum igitur recurramus omnes, contra desperationem spe sancta firmati. Quis enim desperet tantis fultus subsidiis, illectus beneficiis, tractus magnificentissimis & certissimis promissis! Nunquid non audiisti in Evangelio, eum ore suo promentem & pollicentem **SI QVIS SERMONEM MEVM SERVAVERIT, id est, si quis mihi militauerit, in castris meis fuerit, MORTEM NON VIDEBIT IN ÆTERNVM?** Quid deesse potest illi qui vitam possidebit æternam? Cæterum sicut in mundanis ita in istis exercitiis duplices visuntur milites, quidam veterani, cæteri tyrones. Et è bonis quidem tyrones sunt, qui non ita pridem militia nomen dederunt siue per baptismum, siue per pœnitentiæ sacramentum, veterani vero sunt, qui in hac palæstra diutius dimiscant: tyrones sunt qui iam cadunt, iam resurgunt, veterani sunt qui fortiter in prælio stantes, multos Christi & suos inimicos prosternunt: denique tyrones ii mihi esse videntur, de quibus Christus in Evangelio. **QVI EX DEO EST VERBA DEI**

*Inc. r. f.  
7. Spei sibi  
mulus.*

*Milites du-  
plices Tyro-  
nes & Vete-  
rani.  
Eorum tres  
in bonis dis-  
ferentia.*

1<sup>o</sup>2<sup>o</sup>3<sup>o</sup>

*Ex Euang-  
gelio.*

A V-



*A minori  
pro majori-  
bus.*

AVDIT. Hoc est enim bonæ militiæ primū fundamentū, quo qui caret frustra sibi de castris Christi blanditur: veteranum vero illum putarim, qui cū Christo dicere queat. EGO NON QUÆRO GLORIAM MEAM. Et vero si id quibusuis etiam gregariis competit militibus, sicut veraciter competit, omnibus enim ista dicuntur: quanto magis hæc in Centurionibus, Chiliarchis, ducibus, & principibus Dei exercitus conspicua esse debent: Vbi & illud quæso notate diligenter militiam Christi, à militia mundi, in eo plurimum discrepare, quod in mūdano conflictu, quo quis sperat maius honoris proprii incrementum, eo pugnat fortius, in Christi vero castris è cōtra, quo quis sua neglecta, Dei solius gloriam purius & ardentius expetit, speratque, eo decertat acrius, & vincit frequentius. Id igitur rogo agamus diligenter. Hoc enim stimulo, spei, nescio an quid possit inueniri validius.

*¶. Spei sti-  
mulus.  
NOTA.*

*Iidem in-  
ter malos.*

*Ier. 13. 23.*

Contrariæ factionis etiam reperiuntur, tum tyrones tum veterani. Tyrones sunt qui nuper in peccatum inciderunt, veterani sunt, qui ex consuetudine peccāt, de quibus apud prophetam. *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas: & vos poteritis bene facere, cum didiceritis malum: tyrones sunt qui aut ex ignorantia, mi-  
nus*



nus excusabili, aut ex infirmitate peccant: veterani sunt quibus hic dicitur. PROPTEREA VOS NON AUDITIS QVIA EX DEO NON ESTIS, & paulo ante *vos ex patre diabolo estis.* *Ion. 8. 44.* Ex quibus duces constituuntur. Sed de his alias, nunc admonitio adhibenda est, cauti ut simus omnes in iudicando quisnam sit miles Christi, quisne dæmonis, quis tyro, quis veteranus. Multa enim & temeraria & peccatis plena in hoc committuntur iudicia. Doctrina salutaris est, ut te ipsum inter Sathanæ, alios inter Christi milites computes (nisi oppositum euidenter constet) cuius tamen contrarium fit plerumq; cum magno animarum nostrarum dispendio. Nam & de nobis bona sentiendo, in superbiam, & de aliis mala, in detractiones incidimus. Quod vitium frequenter insectamur, quia frequenter committitur, & raro pro peccato reputatur. Quid vero te de aliorum vitiis loqui iuuat? Nunquid ideo tu bonus eris, quia ille malus? imo caue ne tu duplo illo sis deterior: tum eadem vel similia quæ reprehendis patrando: tum incaute proximum iudicando: sæpius damnando. Caue, caue obsecro, vix enim dici potest, quantum id mali in Christianis pariat: sicut contrarium multum boni. & inter alia spem bonam. Qui enim alios non iudicat (loquor semper de illis quorum id nil inter est) spem potest concipere

*Ion. 8. 44.**Admonitio  
per necessa-  
ria.**Et regula  
in iudican-  
do adhiben-  
da. Hinc.**2. Spei sti-  
mulus.*



cipere bonam, quod ipse quoque non iudicabitur, quia os domini locutum est. Nolite iudicare & non iudicabimini; nolite condemnare & non condemnabimini. O quam eximius fructus! Carpendus igitur. Verum ad alia belli munia consideranda transcaamus.

VI. PVN-  
CTVM  
Tessera.  
Christi du-  
plex.

Ex quorum numero est tessera militaris, qua sicut in exercitu mundano & corporali, ita etiam in bello hoc spiritali, milites vnus, à militibus alterius partis secernuntur. Tesseram autem hanc ipse summus Imperator Christus Iesus in principio Euangelij hodierni iis qui sub ipso militant, dedisse mihi videtur, eamque duplicem, duobus expressam verbis ( id enim plerumque fit in exercitibus ) verbum alterum est VERITAS, alterum PIETAS. Illa clara est in textu, hæc sub primis notatur verbis Euangelij. Quicumque enim vere pius est peccato lethali caret. Ponimus autem hanc duplicem tesseram, quia strictius hic sumimus exercitum Christi, quam Ecclesiam Christi. In Ecclesia enim collocamur, per VERITATEM, per fidem inquam in veritate fundatam, quæ etiam si mortua sit, facit nos tamen vera membra ecclesiæ: At vero vt in exercitu Christi stemus, vt fortiter pugnemus, vt hostes prosterneamus, necesse est vt habemus, fidem que

2. Pietas  
qua in exer-  
citu nos si-  
stir,

per



per charitatem operatur, ut nos docet D. Paulus. Id igitur procuremus in nobis dilectissimi, spe certa victoria stimulantem corda & conscientias nostras. E contrario vero tessera exercitus diaboli est aut impietas, aut perfidia sola, alterutrum enim sufficit, quamuis hoc postremum semper etiam secum inuoluat primum. Facile vero utrumque cognosces. Si enim Catholicus non es utrumque habes, si vero Catholicus es, sed non Catholicus e viuis, in primum incurris.

Nervus belli terreni dicitur esse pecunia. Nervus vero belli huius spiritualis quis erit? Quantum reor, nervus illorum qui sunt à patre dæmonis, sunt diuitiæ, voluptates, falsi honores, quibus & allicit, & continet in suo exercitu Sathan quam plurimos, licet non omnibus ea concedat, ut est mendax. Et tamen pro pudor militatur ei. In exercitu vero Christi nervum dixerim esse, tum consolationes diuinas, quas pro necessitate cuiusque imo & voluptate spirituali, largiri solet liberalissime saluator noster Iesus. Qui expertus est scit quid loquar: qui non est expertus, roget Deum ut experiatur. Tum spem futuræ retributionis, de qua sub finem concionis.

Bestias quibus insidetur contemtor. Nā istæ quoque ad pugnandum plurimum habent momenti, etiam in bello terreno, quanto

*Gal. 5. 6.  
10. Spei stimu-  
lus.  
Tessera  
diaboli con-  
traria.*

*VII. PVN-  
CTVM.  
Nervus bel-  
li tum terre-  
ni tum dia-  
boli.*

*Tum Christi.*

*VIII. PVN-  
CTVM  
Bestia.*

magis



*Quantū in* magis in spiritali? Ita Alexander Magnus  
*is momen-* suo Bucephalo multum fidebat. Ita in libris  
*ti.* Machabæorum hostes Iudaici generis in e-  
*2. Mach. 6.* lephantis gloriabantur. Quorum vnum cæ-  
*37.* teris eminentiorem ornatum lorice regis  
*ibid. §. 43.* Eleazar, miles strenuissimus cum triginta  
 duobus, qui bestia infidebant mirifice pro-  
 stravit mactavitque. Ita miles noster Polo-  
 nus delectatur generosis & bene saginatis  
 equis, sæpe etiam plus æquo. Proinde in bel-  
 lo quoque nostro bestia silentio prætereun-  
 da non sunt. Ea vero illorum qui manent à  
 sinistris sunt, vel similes illi de qua legimus  
 in Apocalypsi bestia habenti *capita septem*  
*Apo. 17. 3.* & *cornua decem* ( quibus vniuersitas pec-  
 catorum & scelerum denotatur ) cui infide-  
 bat meretrix pessima Deo, & angelis, & piis  
 omnibus odibilis: vel sunt *equus & mulus*  
*Psal. 31. 9.* *in quibus non est intellectus,* id est corpus  
*Apo. 19. 17.* ferox, effrenatum, recalcitrans & spumans  
 suas confusiones, quod nec ipse, nec quis-  
 quam domare potest. Ingens malum & in-  
 strumentum, ad præcipitium interitum-  
 que aptissimum reuissimumque. Qui vero  
 à dextris sunt sequuntur *verbum Dei* le-  
 sum qui et *rex regum & dominus dominan-*  
*Iter illorū* *tium*, ibidem nominatur (hic est imperator  
*qui à dex-* noster) Sequuntur autem illum *in equis albis*  
*tra hinc.* *vestiri byssino albo & mundo.* Quid hisce de-  
*Ibid. §. 16.* notatur? Et quid quæso melius, quam tum  
*Ibid. §. 14.* *cali-*



castitas mentis & corporis cuiusvis iuxta statum suum: tum carnis mortificatio: tum opera candida, quæ inde proficiuntur? Habent n. qui eiusmodi sunt corpus cum sensibus & passionibus suis edomitum, mundum, nitidum: quod etiam si aliquando, naturali suo vel corrupto potius impetu aliquantulum recalcitret (lamentatur hac de re ipse Apostolus Paulus) facile tamen ab anima quæ illi insidet, domari regi; se permittit. Pulchrum bonæ spei argumentum. Sicut enim milites in generositate & edomatione equorum suorum spem victoriæ suæ haud parvam collocant: ita qui corpus spiritui bene subiugatum habent, sancta fiducia plenos esse dubium esse potest nullum.

Ad arma venio, quæ duplicia sunt. Alia quibus incursum inimicorum, aut patienter sustinemus, aut etiam arcemus. Alia quibus hostes ipsos inuadimus, prosternimus, necamus. Hæc ut nostis offensiva, illa vero defensiva vulgo nuncupantur. Veraque prois qui in exercitu sunt Christi Iesu mirifice simul omnia effinxit, & enumeravit D. Paulus sic scribens. Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis stare in die malo, & in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induite loricam iustitiæ, & calciati pedes in præparationem Evangelii pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo

Rom. 7. 23.  
11. Spei argumentum  
a simili.

IX. PVN-  
CTVM  
Arma.  
Duplicia.  
Eorum qui  
Christo mi-  
litant Paulus  
vire de  
scribit.

Ephes. 6. 13.



positis omnia tela nequissimi ignita extinguere,  
 & galeam salutis assumite, & gladium spiritus,  
 (quod est verbum Dei) per omnem orationem &  
 obsecrationem orantes omni tempore in spiritu.

*Exhortatio  
 eximia.  
 Standum.*

Quam eximie & quam apposite ad no-  
 strum institutum vniuersa. State, inquit,  
 idque ter repetit vt scias quantum sit in co-  
 litum. Tota omnino spes victoriæ. Quis  
 enim prostratus in terra hostem deuicit vn-  
 quam? Nemo equidem nisi resurgens, de-  
 nuo steterit in prælio. Stemus ergo dilectif-  
 simi, & si cecidimus, iterum iterumq; resur-  
 gamus obsecro. Stemus autem in die malo.

*In die malo*

hoc est tempore tentationis, quæ haud sa-  
 pida est, & à malo, sed non ad malum mo-  
 do ipsi velimus. Stemus autem perfecti, per-  
 seuerantes videl. in omnibus, bonis operibus

*Perseueran-  
 ter.*

nō ad Pascha tantum, non hoc solum sed o-  
 mni vitæ nostræ tempore. Displicet n. Chri-  
 sto, qui tempore tentationis recedit, nam qui

*Luc. 6. 13.*

*Mat. 10. 22*

perseuerauerit vsq; in finem hic saluus erit. Sa-  
 lus autem est finis belli huius & certaminis.

*Scopus Pau-  
 li.*

Hæc igitur est D. Pauli, imo ipsius Christi ex-  
 hortatio, hic scopus. Sequitur armatura par-  
 tim defensiuæ, partim offensiuæ. Si priuatos

*Armatura  
 septem spe-  
 cies.*

*Eph. 6. 14.*

species quintuplex est defensiuæ, duplex of-  
 fensiuæ: si publicos aspicias, præsertim prin-  
 cipes & duces exercitus, plures offensiuas re-  
 peries. Executiamus singula per ordinē. Pri-  
 mum armaturæ genus est succinctos habe-  
 re lum-



re lumbos in veritate. Quid est istud? Fundamentū est cæterorū. Duplices n. lūbi sunt in scriptura: tū corporis noti oībus: tū mentis de quibus princeps Apostolorū, *succincti lumbos mentis vestrae*. Illos castitate, hos fide, utrosq; in veritate præcingere oportet: tū vt vera nō simulata sit in nobis castitas: tū vt p veritatē fidei in captiuitatē redigamus intellectum nostrū in obsequiū Christi, vt nos Paulus Petrū explicans docet: Itaq; fide mens, castimonia verò corpus præcingendū est athletę IESV. Secundū armorū genus est induere *loricā iustitiæ*. Iustitiā hīc & vt est peculiaris, & vt est generalis virtus accipere possumus. Primo modo lorica se induit iustitiæ, qui vnicuiq; reddit quod suum est, sicq; proximum maximè cōcernit. De qua est illud. *Nemini quicquā debeatis, nisi vt inuicē diligatis*. Vtinā. Eximium fomentū spei, amor iustitiæ. Multò magis verò illius iustitię, quæ omne officij genus q̄ Deo, quod proximo, quod nobis debemus, cōplectitur. Id n. per elegāter lorice cōparatur. Sicut n. lorica ex ppetuis annulis. ita hoc iustitiæ genus ex innumeris & cōtinuis cōpactum est humanis actionibus. Tertia armatura calceat pedes & munit eos in præparationem Euangelij pacis, quod itidem dupliciter capi potest, tum passiuè, & sic oēs inuoluit homines: tū actiuè, qua ratione illis qui ad prædicādum Euangelium mittuntur peculiariter competit.

x 4 Et

## NOTA.

1. Lumbos  
duplices  
præcingere.  
1. Pet. 1. 13.

2. Cor. 10. 5.

2. Lorica  
duplex ius-  
titiæ induit  
Eph. 6. 14.

12. Spei sti-  
mulum.

Rom. 13. 8.

3. Pedes du-  
pliciter cal-  
ceare.

Eph. 6. 15.



Et vero priori modo arma hæc sunt defen-  
 siva tantum, secundo autem erunt et offen-  
 siva. Porro præparatio ista, & munimen pe-  
 dum cum primis in patientia consistit, aperte  
 id de posteriori genere attestante scriptura  
 cum inquit, *Bene patientes erunt, ut annunciet.*  
 Patientia itaque est necessum calcare pedes,  
 cum omnibus, ut pacem quam nos docet Euange-  
 lium cum omnibus, conseruent; tum prædicatoribus,  
 verbi, qui dum Euangelium pacis aliis annun-  
 ciant, eoque graviter aduersarios Christi feri-  
 unt, ab ipsis vicissim feruntur, & olim &  
 nunc, tam a Gentilibus, & Iudeis, quam ab hæreti-  
 cis, & malis Christianis, & quidem vel in vita,  
 quam tormentis exquisitissimis eis eripiunt,  
 vel in corpore quod verberibus, & exiliis vexant,  
 vel in fama quam innumeris detractio-  
 nibus, & falsis criminationibus, lacerant illi qui  
 ne Euangelium pacis fructum faciat, vehementer  
 student. Verum in his omnibus, patientiam  
 meminisse nos oportet, nec cedendum malis,  
 sed quoad fieri potest, danda est opera, ut vin-  
 camus in bono malum, sicut & olim maio-  
 res nostri, & nunc contribules nostri, inter  
 Gentiles, hæreticos, & alios faciunt. Quarta  
 armatura est *scutum fidei* tum fidei Catholice,  
 de qua in principio egimus: tum peculiaris il-  
 lius qua credimus Christum dominum & pos-  
 se, & velle nos eripere ex omni tribulatione,  
 & insultibus inimicorum visibilibus, & inui-  
 sibilibus. Potest enim id facere: quia omnipotens  
 est

*Id sit paciē-  
 tia.*

*Psal. 91. 16.  
 Qua prædi-  
 catoribus  
 maxime ne-  
 cessaria.*

*Eph. 6. 16.  
 4. Armatu-  
 ra fides pe-  
 culiariis.*



est: vult quia pollicitus est. Hoc *scutum fidei* opponite aduersariis dilectissimi, vt *positis omnia tela nequissimi ignea extinguere*. Potens est enim ad id præstādum, tum in vobismet-ipsis, tum per vos in aliis, quibus consilio, auxilio, exhortatione, in primis vero bono exemplo opem tuleritis. Ita enim arma hæc, non solum defensiva, sed etiam offensiva, ac inimicum ferientia efficientur. Maxime si quintum addideritis, nempe *galeam salutis*, per quam spes intelligitur, vt nō solum credamus Christum, & posse & velle nos eripere è manibus inimicorum nostrorum, verum etiam speremus, & certo nobis persuadeamus, illum id omnino facturum exemplo illius qui clamabat, *Omnia possum in eo qui me confortat*: & alibi, *Certus sum quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, &c. neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro*. Idem igitur nos quoque sine hæsitacione faciamus. Est enim spei quoque sua certitudo, licet non tanta quantam habet fides diuina, talis nihilominus, quæ omnes fiducia mundanas longissimo post se relinquat interuallo.

Duo reliqua armaturæ militis Christi genera sunt etiam offensiva. Alterum habet *gladium spiritus*, (Hebraismus, id est, *gladium spiritus*)

*Ibid. 17.  
5. Spes.*

*13. Spei stimulus & natura.  
Psal. 4. 13.  
Rom. 8. 38.*

*6. Armatura gladii  
in verbis  
Dei.*



*Ephes. 6. 17.* spiritualem) quod est verbum Dei. Sicut enim gladio materiali, ita verbo Dei, non solum nos ab inimicis defendimus, sed etiam eos ferimus, lædimus, prosternimus, tam malos dæmonas, quàm homines nequam. Proinde valde bene consulunt viri spirituales, ut cōtra omnes tentationes & insultus dæmonis, habeamus in promptu aliquem locum

*Habendus  
in promptu  
si fecit  
Christus.  
Matth. 4.  
Act. 2. 16.  
Petrus.  
Alij.*

sacræ Scripturæ, suggestioni illi contrariam. Id fecit supremus noster Imperator Christus Iesus, ut nostis, quādo cum supremo nequam Lucifero pugnavit. Id Apostoli, præsertim princeps eorū, qui calumniis Iudæorum opponit locum Prophetam. Id omnes eorū imitatores. Id ipsum igitur nos quoque faciamus. Verbi causa (ut tria illa vitiorum tangamus suprema capita) Concupiscentiæ

*Exempla  
ex omni ge-  
nere ali-  
quot.*

*1. Ti. 6. 7.  
Iob 1. 21.  
2. Cor. 6. 13.*

oculorum obiiciamus illud verbum Dei. Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quod neq; auferre quid poterimus. Item illud antiqui Iob. Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus reuertar illuc. Concupiscentiæ carnis illud. Esca ventri & venter escis: Deus autem & hunc & has destruet. Libidini vero

*Rom. 1. 24.*

illud, quod tales, contumelia afficiant corpora sua in semetipsis, teste verbo Dei. Denique superbiæ vitæ ingeramus illud, Deus superbis resistit, & multa eiusmodi. Postremū apud Paulum: at in re ipsa haud postremū, imo exprimis est adhibere, omnem orationem & obsecra-

*Ephes. 6. 18.  
7. Armatus  
est oratio.*

tionem orando omni tempore in spiritu. Hac armatura



matura colophonē addidit, quia sine illa parum aut nihil valent cætera. Quis enim existimet, se in tam acuti certamine posse suis viribus consistere, vsque in finē vitæ suæ? Nul-  
 lus sanè, mentis sanæ. Proinde nemo eorum qui in castris Christi versantur. vbi omnes sunt secundum animam sani. Si enim teste Paulo non sumus, *sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis*, quanto minus erimus sufficientes ex nobis stare in prælio, contra tot phalangas robustissimorum. & versutissimorum inimicorū nostrorum? Ad Iesum igitur in orationibus & obsecrationibus recurramus *omni tempore in spiritu*. Quid sibi volunt duæ istæ circumstantiæ? Pulcherrime sunt certè & pernecessariæ. Prior temporis quæ non ideo ponitur, vt necessario omni tempore instantes simus orationi, id enim non nisi summè perfectorum est, & eorum qui dicere possunt, *nostra autem conuersatio in caelis est*, sed propterea, vt omni tempore, quo nos tentatio pulsât, quo cum hoste congregiendum, illico ad Deum recurramus, quamuis breui efficaci tamen oratione opem ipsius implorando, spem de præfenti auxilio certam habendo & exercendo. Non enim nos fallat omnino. Similiter posterior modi conditio æquè vtilis & necessaria est, vt non ore tantum quod fit plerumque, sed *in spiritu* oremus; dupliciter: tum attentionem, & intentionem,

*Pernecessari-  
 atum rati-  
 one,*

*Tum Pauli  
 teste.  
 2. Cor. 3. 5.*

*Dua eius  
 conditiones.  
 Ephes. 6. 18.*

*Altera  
 temporis.*

*Phil. 3. 20.*

*14. Spei Ex-  
 ercium,*

*Altera  
 modi.*



tionem, tum media ad id necessaria adhibendo. Frustra enim ore clamatur, cum operi manus non adhibetur. Manus inquam tam corporis, ubi id oportet, quam mentis quod semper necessarium est. Vult enim Deus cooperationem suæ creaturæ, ut toties dictum & probatum est.

*Armatura  
& milites  
diaboli.*

A sinistris vero quæ arma visuntur? Vno verbo his omnia contraria. Sathan enim sic armat. Lumbos tum mentis incredulitati, tum corporis libidini laxat. Induit eos lorica iniustitiæ omnis generis, ita ut tandem nec Deum timeant, nec homines revereantur. Apponit pedibus compedes: tum respectu sui cæcitatibus, unde ad quemvis lapidem offendunt & scandalizantur: tum respectu aliorum: contentionum & impudentiæ. Munit præterea sinistram quidem clypeo pertinaciæ & obstinationis, quibus omnia tela ignita Dei, propriæ conscientiæ, angelorum, & hominum, qui illis bona suggerunt, extinguunt. In capite collocat galeam desperationis, de qua multa in prima concione diximus. In dextera vero quid?

*Psal. 56. 5.  
Psal. 13. 3.*

Ponit gladium tum exempli pessimi: tum linguæ obscenæ, procacis, maledicæ, blasphemæ, garrulæ, adulatoriæ, de qua David *lingua eorum gladius acutus.* & alibi non raro. Sed ista alio spectant. Denique orationis loco



loco armat eos cōtemptu, & obliuione Dei creatoris & redemptoris sui, indeque amore sui, & mira præsumptione. O deplorandum genus hominum! Omnia penè ista apparent in Iudæis istis in Euangelio hodierno, sed excutere illa non est huius loci.

Iam pugna ipsa & certamen describendum foret, sed id agere nec tempus patitur, nec necessitas vrget. Quid enim frequentius in nostris inculeatur cōcionibus quam hoc ipsum & denique ex dictis id si placet colliges. Quare vniuersim quidem vnum, peculiariter vero tria tango. Illud est. Bellum istud vt etiam mundana fere vniuersatum lingua tum manu peragi. Prius enim verbis litigatur, postea manu decernitur. Est tamen hîc id differentia, quod in nostro hoc conflictu non solum linguæ, sed etiam mentis verba, ipsæque cogitationes considerantur, attenduntur, excutiuntur. Nec mirum, spirituale est etenim. Exemplum capere ex Euangelio sanè per commodum. Et quod ad verba quidem attinet, quibus hinc & inde decertatur, ea vtrinque sunt plurima, ex quibus verba etiam mentis facilè colliguntur, iuxta illud dictum veritatis, *Ex abundantia cordis os loquitur.* Iesu quidem verba omnia sunt bona, sancta, proficua, Iudæorum vero scelestas, cauillis ac calumniis plena, & nociua valdè. vidimus id in secūda cōcione, inde

X. PVN.  
CTVM  
Pugna.

Vniuersim  
vnum de  
modo pug-  
nandi.

Exemplum  
ex Euang.  
NOTA.

Mat. 12. 34



inde qui volet petat. Ad manus à Iudzorum & dæmonis parte itur, à Christo vero non venit, sed fugitur. Non sine mysterio. Id enim in pugna nostra spiritali sæpe, in carnalibus vero tentationibus semper necessarium est, imo etiam cum à spiritu infidelitatis, vel blasphemix agitatur, non est altercandum cum diabolo, sed mens alio auocanda, facta protestatione.

*Peculiaritria.  
i. Pro du-  
cibus &  
prælatiss.*

Singillatim tres flosculos ex primis dictis Christi carpo. Vnum pro ducibus belli præcipuè, reliqua pro omnibus. Illud dant nobis prima Christi Domini verba, QVIS EX VOBIS ARGVET ME DE PECCATO. Quæ si omnibus Christianis suo competunt modo, quanto magis prælati Christianorum, qui ita viuere debent, vt nequeant insimulari peccati? Meministis dicti cuiusdam Philosophi, quod ante octiduum attuli? Illam videlicet castam esse de qua fama mentiri vereretur. O quam iustius id de hoc statu dici & potest & debet. O vtinam sic viuamus vt non solum de castimonix (quod pernecessarium) sed etiam de sobrietatis, de liberalitatis, erga pauperes, deque aliarum virtutum nostrarum defectu fama mentiri erubesceret? Fama inquam. Nam si aut hæretici, aut qui veritatem oderunt aduersus nos pessima quæque comminiscuntur, non solum parum curandum, sed etiam lætandum



tandum est, si nulla data occasione, Christo & eius discipulis assimilamur. Porro quod Dominus Iesus tum in veritatis: tum in auditionis verbi Dei, id est in obedientię commendationem adfert, id omnibus competit (& si eunctis, multo magis principibus & ducibus belli.) Itaq; curandum est diligenter, vt omne mendacium etiam in sermone quotidiano summopere fugiamus, nostrarum curarum commissos in eo diligenter exerceamus etiam in infantibus mendacia castigando. Vix enim dici potest quanto opere, & amor veritatis placeat Deo, & vsus mendacij noceat hominibus. Anima enim quę illi assuecit, in periuria, furta, fraudes, & ipsas hæreses facillimè delabitur. Deniq; verbum Dei diligenter audiendo, eiq; obediendo, ac iuxta illud viuendo, nõ solum stabimus in hoc certamine securi, sed etiã pugnabimus alacres, vincemus fortes, & brauium læti accipiemus.

Ad finem propero finisq; belli commoda pando, nec vero alia præter ea quę Euangelium porrigit, quem enim ista non afficient, quid promouebit? Primum commodum est posse dicere, QVIS EX VOBIS, ab eo tempore quo conuersus sum ad Dominum ARGVET ME DE PECCATO, mortifero commissio? Id n. omnis qui stat in exercitu Christi habet, vt audisti. O fructus eximius & frequenter

*Duo reli-  
qua pro-  
missis.  
2. Veritas*

*3. Obedi-  
entia.*

*XI. PVN-  
CTVM  
Effectus.  
7. Sine pec-  
cato esse,*



2. *Ex Deo  
esse.*

3. *Cum Deo  
perenniter  
esse.*

quenter repetendus, sed cauenda superbia, ne quod pœnitentia, diligentia, & humilitate acquisiisti, elatione perdas. Aliud est excellentius, esse EX DEO. Qui enim in exercitu Christi stat, & fortiter dimicat, contra hostes Christi & suos, EX DEO est, in Deo est, cum Deo est, & Deus cum illo. Quid his requiras amplius? Fortè tertium quid illis verbis, MORTEM NON VIDEBIT IN ÆTERNVM expressit Christus Iesus? Id sanè omnium amplissimum est, vtpote quod & victoriam, & supremam in se beatitudinem continet. Verum ne id quidem te fallat, tu modo te & Deum ne fefelleris. Non decipies vero, si in hoc sancto exercitu perseueraueris ad vitæ terminum.

XII PVN-  
CTVM  
Vexilla.

*A sinistris  
turpissimū.*

*A dextris  
crux pul-  
cherrima.*

Quod vt facias alacrius, vtque vnde cepit nostra decurrat oratio. Ecce ego, o popule Christiane, duorum imperatorum duo in conspectu tuo erigo statuoq; vexilla hodie, à dextris, vnum, à sinistris alterum. Hoc pictura spurcitarum, impietatum, crudelitatum, omnis generis refertum, & conspurcatum est totum (tale re ipsa Antichristus ille magnus habiturus creditur) illud præter signum crucis Christi Iesu continet nihil. Id tibi mater tua explicat hodierna die, tum cœremonia: tum titulo, dum hanc Dominicam Passionis vocat: tum cantu [vexilla regis prodeunt. fulget crucis mysterium, quo carne



carne carnis conditor suspensus est patibulo inquit illa, tu audi, & abiectio, discisso, concalcato, spurco illo, hoc pulcherrimum amplectere vexillum. Id fides à te Deo in baptismo data, id nomē Christiani, in quo gloriaris, id mater tua, quæ pro te spondit, id denique ipse Christus Iesus à te volunt, requirunt, exigunt. Qui ergo illud amplectar inquis? Primum quidem si à cruce exerrasti redibis per poenitentiam: deinde si hanc perfecisti, per sanctam mortificationem, & in ca perseverantiam. Ut sicut Christus Iesus pro salute tua, carne sua suspensus est in patibulo: ita tu pro amore eius, imo etiam tui ipsius carnem tuam crucifigas cum vitiis & concupiscentiis tuis. Vulneribus ille suis vulnera tua curavit, vulneribus tu tuis, si non corporis, saltē sensualitatis tuæ, & illi gratiam referas, & te cures. Audi hac de re differentes duos Apostolorum principes, quibus agmen & concionem claudo. Primus princeps inquit. Christo igitur passio in carne, & vos eadem cogitatione armamini, quia qui passus est in carne, desit à peccatis, ut iam non desideris hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne vivat temporis. Ecce modus quo vexillum hoc complecti nos oporteat. Tu singula verba domi pondera, & thesaurum inuenies. Alter vero clamat. Non coronatur nisi qui legitime certaverit. Vbi vero hæc datur corona?

*Id igitur amplectamur multis de causis.*

*Modus.*

*Gal. 5. 24.*

*Exhortatio D. Petri, &*

*1. Pet. 4. 1.*

*D. Pauli,*

*2. Tim. 2. 5.*

Y

Non



Non equidem in hac vita. Nam idem alibi  
*1. Cor. 15. 19* ait, *Si in hac vita tantum in Christo sperantes  
 sumus miserabiliores sumus omnibus hominibus.*  
 Ergo in illa vita quæ teste Salvatore in Euā-  
 gelio hodierno MORTEM NON VIDEBIT  
 IN ÆTERNVM. Ad hanc igitur dilectissimi  
 sub hoc sancto crucis vexillo aspiremus, vi-  
 tamque istam sperantes fortiter dimicemus.  
 Nonne videtis innumeros militum mun-  
 danorum, an his plurimis, nonnullosq; eo-  
 rum ad decrepitam vique ætatem, ingentes  
 in præliis exaltantes labores? Cur quæso? Spe  
 præmij temporalis, quod sæpe fallit, & etiã  
 non fallat, tenuissimum est tot respectu la-  
 borum quot perferunt, sumptuum quos fa-  
 ciunt, periculorum quæ subeunt, sæpe om-  
 nia sua perdentes, facultates, sanitatem, vi-  
 tam denique ipsam. Quos stimulos isti non  
 adhibebunt nobis ad spem in nobis erigen-  
 dam? Spem inquam non humanam, sed di-  
 uinam, non fallacem sed certissimam, non  
 rerum tenuissimarum frequenter etiam fœ-  
 dissimarum, & cum fumo transeuntium, sed  
 rerum præstantissimarum, coelestium, per-  
 enniter manentium? Quas faces non ad-  
 mouebunt nobis isti, ad militiam hanc san-  
 ctam, alacriter amplectendam, fortiter su-  
 stinendam, sagaciter promouendam, & per-  
 seueranter ad finem vsque vitæ nostræ con-  
 tinuandam? Id igitur faciamus, vt post hu-  
 103

*A simili  
 exemplo  
 militum.  
 NOTA.*

*15. Spei sti-  
 mulus ext-  
 rimus.*



ius vitæ finem percipiamus, *immarcescibilem* 1. Pet. 3. 4.  
glorie coronam, quam dabit nobis princeps  
noster Christus Iesus, qui cum Patre in vni-  
tate Spiritus sancti, vivit & regnat Deus in  
sæculum, Amen.



# CONCIO IV. CHARITAS.

BENEFI-  
CIA CHR-  
ISTI, PRÆ-  
DESTI-  
NATIO  
Summa E-  
uangelij &  
argumenta  
Christi  
Theologica

Qvod altera ab hinc retro Dominica le-  
ctum fuit Evangelium, multum cum  
hodierno conuenire, nō est, qui non videat.  
Eadem est vtrobique concertatio, iidem ad-  
uersarij, & quod est caput, quæstio vel ca-  
lumnia potius eadem, nempe Christum Ie-  
sum dæmonium habuisse, ac virtute Beel-  
zebub dæmoniorum principis, tum dæ-  
monia eiecisse, tum alia miracula patraf-  
se: tum vero doctrinam dæmoniorum  
disseminasse. Quam calumniam illic ali-  
quot potentissimis ex ipso lumine naturali,  
& philosophia depromptis rationibus va-  
lidè, vt audistis refutauit Dominus Iesus.  
Id ipsum præstat hodie, sed aliq̄ ex fonte, The-  
ologicis. n. vtitur argumentis: quorum pri-  
mum



2. *Ennatus  
v. peccata.*

mum decerptum est, ex natura peccati, in primis autem mendacij. Etenim cum peccata & maximè mendacium in doctrinam quidè & opera dæmoniorum semper, in Christi vero nunquam cadant: euincitur Christum omnino dæmonio caruisse. Alterum sic currit. Ego (inquit Christus) non meam sed patris mei, quem vos Deum vestrum esse dicitis gloriam quero. Sed id agere diabolus impossibile est. Nihil igitur ego cum dæmone commune habeo. Tertium. Quem Deus glorificat talibus miraculis qualia Sathan patrare non potest, me vero agere videtis, is dæmonium habere nequit. Proinde est Deus, qui vos pro tam graui calumnia mihi illata, & iudicet, & puniat. Postremo. Qui sibi obedientes à morte æterna liberare potest, is dæmonium habere non potest. Eiusmodi porro sum ego, prout sanctè polliceor, ait Iesus. Dæmonio igitur me carere necessum est. Habetis summam Euangelij, & dictorum Iesu Christi.

2. *Ab honore Dei.*

3. *E miraculis.*

4. *Ex vita æterna.*

*PROP. Tripartita.*

Cæterum quamuis Christus Dominus, firmis contra aduersarios, & calumniatores suos agens argumentis, grauitèr identidem eos reprehendat: nunquam tamen amoris & charitatis suæ paternæ obliuiscitur. Propterea sicut in priori illa (vt tunc intellexistis) ita in hac pugna eximia beneuolentiæ edit monumenta. De his igitur  
crit



erit prima pars concionis nostræ, cui alteram de notis prædestinationis quas Euangelium hodiernum nobis insinuat adnectemus. Sub finem vero aliquid pro personis religiosis, & de amore Dei adiungemus. Da Saluator mundi, ita hæc rulinemus, ut à te qui princeps es prædestinatorum in eorum computemur numero, qui ad vitam prædestinati MORTEM NON videbunt IN ÆTERNVM.

Si medici corporales, etiam si consurgant aduersus illos ægroti in rabiem acti, & non solum lingua maledica, & conuiciis eos afficiant, sed nonnunquam etiam calcibus percutant, & manus iis iniiciant, tolerant tamen eosdem patienter ex compassione quam erga illos habent, neque cessant etiam talibus medicinas qua acres, qua lenes adhibere: quanto magis medicorum cum corporum tum vero animarum medicus ipse summus Christus Iesus, ex vera cordis compassione, non ex spe quæstus alicuius (quod in illis fit plerumque) sed ex vero charitatis affectu procedente, compatietur ægrotis in anima, eosque congruis non cessabit fouere remediis? Faciet equidem, facitque & libenter & diligenter. Quod considerans D. Paulus, & simul inuestigans fontes tantæ gratiæ de Christo loquens, in illa prorupit verba. *Non enim habemus pontificem, eundem-*

*1. PARS  
Beneficia  
Christi  
vniuersim  
simili.*

*Compassio  
Christi nota  
à D.  
Paulo.  
Heb. 4.15.*



que medicum, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Et in sequenti capite inquit. Et quidem cum esset filius Dei, didicit ex iis quæ passus est obedientiam. Quare? Nempe ut nos obedientiam doceret, & obediētes remuneraret, Nam & hoc subiungit dicens, Cōsummatuſ factuſ est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ. O bonitas! ô sapientia! ô amor. Hæc igitur in ista concione contemplemur.

*Heb. 5.8.*

*Ver. 9.*

*Fontes eius duo.  
1. Divinitas.*

*7. Experimentia.*

*Quomodo Christus compatibatur peccatoribus.  
1. Tim. 2. 5*

Et primum quidem quoad fontes unde hæc emanant attinet, duos in his verbis D. Pauli intueri licet libetque. Alterum quod esset filius Dei, Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero, ac proinde infinitis vicibus superans omnes medicorum, amicorum, cognatorum, patrum, ac matrum amores, benevolentias, compassionēs. Alterum quod tentatus per omnia, quod didicit ex iis, quæ passus est obedientiam. Nostis neminem magis compati solere alteri quam qui similes in seipso expertus fuerit molestias. Idcirco quia verbum diuinum Deus, in sua natura eas sustinere non valuit, quid facit? Naturam nostram in se assumit, eamque sibi hypostaticè vnit, ut quod in suis nequirit in nostris perficeret, idem Deus idemque homo. O amor! ô sapientia! Quamuis vero ipse mediator Dei & hominum  
homo



homo *Christus Iesus*, experiri in seipso peccatum non posset, sicut & nos ex Euangelio hodierno, ac aliunde deduximus, & hic Paulus clare testatur addens, duo illa verba, *absque peccato*: tamen ex pœnis & ærumnis vitæ huius, quæ nostris debebantur peccatis, quisque in corpore & anima sua pro nobis toleravit, & superabundanter sustinuit, didicit, & compati peccatoribus, & benivolentiæ eis signa demonstrare. Quodque mirandum magis, etiam illis ipsis, qui ei inferrebant tormenta, ita compatiebatur ut clamavit. *Pater dimitte illis non enim sciunt quid faciunt.* O amor! ô sapientia.

*Et quantum.*

*Luc. 23. 34.*

*Ostenditur idem ex Euang. hodierno.*

Nonne id ipsum sicut aliàs ita in hodierna apparet historia? Ita sanè. Saturatus est *Christus Iesus* filius Dei, ab istis seculis hominibus, quibus nunquã cessavit benefacere, saturatusq; non solum opprobriis, sed etiam blasphemis, & nisi se abscondisset, & hac ratione exiisset DE TEMPLo etiam lapidibus saturatus & obrutus fuisset. Ille vero quid? Immemor maleficij, & ingratitude, memor benignitatis suæ reddit eis bona pro malis. O bonitas! ô amor! Quid nos quoque erga eos qui nobis malefaciunt idem facitemus? Utinam *Christum* imitari velimus. Sed iam ad singularia descendamus. Itaque cum in principio Euangelij inquit.

*Doctrina de dilectione inimici. PRIMVM Christi be-*

QVIS EX VOBIS ARGVET ME DE PECCATO. bre-



*nescium  
creatura  
non detra.  
et are susti  
iudicium.*

breuibus in verbis longam, non vnā sed duplicem Iudæis istis & nobis in illis præstat gratiam. Primam notant SS. Patres tam Græci quam Latini plerique. Iesum videlicet cum Deus & creator esset, cum creatura sua iudicio contendere velle. Quis enim nõ obstupescat, cum qui peccare non potuit, & ad relaxanda peccata in mundum venerat, de peccatis argui velle? Eum denique cui om-

*Ioan. 5. 22.*

*me iudicium dedit pater, qui que iudicaturus est, viuos & mortuos, & sæculum per ignem, ab aliis quos iudicare debet, iudicari velle? Nam cum inquit. QVIS EX VOBIS ARGVET ME DE PECCATO. Quid aliud dicit quam istud? Vos aduersarij mei estis, vos dictorum factorumque meorum rigidi censores, vos in omnia mea acri oculo animaduertitis, En sto in medio, & iudicari volo. Prodeat igitur vestrum quispiam, exeat, & conuincat me alicuius criminis. Quis vnquam audiuit similia? Quis ad tantam humilitatem, & mansuetudinem non erubescet? Quis hæc considerans in semetipsum non recurret, & latebras conscientie sue non reuoluet, vt videat, an non ex illorum sit numero, qui & peccata tanquam aquam bibere volunt, & iudicari nolunt? Facessant obsecro ista. Facessant dicta illa. Quid? Egone cum subdito eodem iure iudicari debeo? Quid ni, cum creator cum*  
creatura

*Doctrina  
inde.*



creatura, id ipsum facere voluerit? O si scires vel perpendere velles, quanto opere scriptura inuehatur in acceptionem personarum! crediderim parcius te hæc ingeminaturum Remedium vix excellentius reperitur quam exemplum & præceptum Dei. *Diliges proximum sicut te ipsum.* *Mat. 12. 39*

Deinde ex verbis iisdem. QVIS EX VOBIS *SECUN-*  
 ARGVET ME DE PECCATO summam hauti- *DVM Chri-*  
 re possumus cōsolationem spiritualem, qua *sti benefici-*  
 repletus D. Paulus iubilans exclamat dicēs. *um Sancti-*  
*tae Iesu.*  
*Talis decebat vt esset nobis pontifex, sanctus, in-*  
*nocens, impollutus, segregatus à peccatoribus.*  
 Talis omnino qui suis hostibus capitalibus, *Confertur*  
 ausus fuerit in faciem loqui verba eiusmodi. *is cū sum-*  
*mis.*  
 Conferte illum quæso ò Iudæi (ad vos enim *Cum Abra-*  
 sermo iste factus est) cum summis illis ve- *hamo qui*  
 stris, in quibus gloriari consueuistis, cum A- *peccant.*  
 brahamo inquam & Moyse, & videbitis fa-  
 cile, quanto interuallo hic illos post se relin-  
 quat. & cum id animaduerteritis pro Mes-  
 sia illum recipietis. Non absque causa enim  
 in hoc Euangelio maiorem se esse Abraha-  
 mo probauit. Videte enim quantopere illi  
 præmineat. Abraham ille vester, quem in  
 concertatione ista hodierna toties cum gu-  
 stu & gloriatione nominatis, nonne secun-  
 dum Rabbiorum vestrorum traditionem  
 dum in Vr, Caldæorum moraretur, Idolola-  
 tra, imo Idolorum architectus, & fabricator  
 fuit?



fuit? Quod an ita se habeat fides sit penes vestros authores: illud ex scriptura, quod Abraham dicente sibi Domino. *Et ex illa,*

*Gen. 17. 16. nempè Sara, dabo tibi filium, non illico creditur Deo, sed in corde suo dixerit. Putas ne ceterario nasetur filius, & Sara Nonagenaria pariet? Dixitque ad Deum vti nam Ismael viuat cogium.*

*Rom. 4. 20. ram te. Hæc dicta nescio quomodo ab aliquo saltem peccato excusari poterunt.*

*Gen. 18. 12. Quod vero noster Paulus ait Eum non hæsitasse diffidentia ideo id asserit, quia cū Deus post verba hæc Abrahæ idem statim repetiisset promissum, credidit Abraham, quod non fecit Sara vxor ipsius, sed risit. At noster Iesus absq; omni peccato fuit semper. Quid vero de Moyse, de quo sunt illa verba vestra tumoris plenâ: Nos Moyse discipuli sumus dicam? Dicat scriptura quæ asserit eum homicidam fuisse, & percussum Ægyptium abscondisse Sabulo. Quod factum si excusare volueritis, vt excusare illud videtur noster Stephanus protomartyr, certe ab illa incredulitate, propter quâ et morte à Deo mulctatus fuit minime illū purgare valebitis. Quod cū ita sit, Cur Iesum longe istis præstantiorem vobismet testibus, qui nullius vitii illum arguere potestis minime recipitis? Quia inuidia, rabies, malitia, quam in hoc Euangelio abunde demonstratis vos excæcauit, vt olim vester sapiens de vobis prædixerat. Itaque hunc*

*Cum Moyse qui homicida.*

*Ioan. 9. 28.*

*Exod. 2. 12.*

*Act. 7. 24.*

*Et in credulis.*

*Nu. 20. 10.*

*Cacitas*

*Iudaorum.*

*Mat. 2. 21.*



hunc Iesum à suis reprobatum, quoniam nos qui ex Gentibus sumus suscepimus, pro ignominia gloriam, pro opprobriis gratiarum actiones, pro blasphemis laudes, in primis vero pro charitate tanta erga nos, dilectionem nostram licet perexiguam ei repēdamus. Rependemus autem amorem pro amore, si non solum verbis laudes ei referemus: sed multo magis, si in bonis operibus ita nos exercuerimus, vel nos quoque (non superbe sed veraciter) dicere valeamus, *QUIS EX VOBIS ARGVET ME DE PECCATO? eo modo quem in aliis concionibus descripsimus, nempe ab eo saltem tempore, quo per poenitentiam conuersi, nouam vitam inchoauimus. Faxit Iesus, vt omnes qui hic in nomine eius congregati sumus, id dicere valeamus.*

*Consolatio  
& gratis-  
do Christiano-  
normis.*

Neq; vero patimini vos ab hereticis infici, prout non paucos infectos esse noui qui arbitrantur hominem etiam Christianum diu sine peccato mortali viuere non posse. Mendacium est istud & incredulitas pessima. Potest, potest quilibet Christianus, non quidem suis viribus, sed diuina adiutus gratia, quæ omnibus semper in promptu est, potest inquam non aliquam diu tantum, sed multis etiam annis, adeoque toto vitæ suæ tempore, à iuuentute sua, vsque ad decrepitam ætatem esse & viuere sine peccato lætiali.

*Occurrunt  
obiectioni.*



*Esse quosdam  
sine peccato  
mortis  
vo.*

lathali. Et ut ad consolationem vestram dicam, quod sentio. Arbitror equidem non deesse in templo isto, non solum virgines & adolescentulos, bene educatos: sed etiam viros & senes vtriusque sexus quam plurimos, qui à multis annis nullum commiserunt peccatum mortiferum, imo reor me nosse aliquos, qui toto vitæ suæ tempore ab eo liberi fuere. Non est id adeo difficile, ut tam hæretici, (quibus tamen in sua perfidia manentibus, culpa lathali vacare impossibile est) quam alii siue ab hæreticis deprauati, siue peccatis obstiti, & in iis sepulti arbitrantur. Hæc dico non ut oscitantes vos nimiumque securos reddam, aut in superbiam eleuem. Absit. Sed tribus aliis de causis. Primum ob consolationem vestram. Deinde ut amorem erga Iesum in vobis excitem. Postremo ut duos scopulos sibi contrarios vos effugere doceam: alterum dicentium se quidquid agant semper peccare, iustum nunc reperiri neminem, hisque similia: alterum se de salute propria esse securos, se certo scire quod saluabuntur. Vtrumque fugite dilectissimi, vtrumque est enim canticum Luciferi infernalis. Contra quod munit nos tum Christus, tum Apostolus Paulus. Christus. quidem cum in hodierno Evangelio inquit. **SI QVIS SERMONEM MEVM SERVAVERIT.** Præcipiendo enim ut sermo-

*Tres inde  
fructus.*

- 1. Consolatio.*
- 2. Stimulus amoris.*
- 3. Ut duo hic extrema cauere.*

*Præcipiendo enim ut sermo-*



nes ipsius seruentur, satis clare demonstrat, esse quosdam qui id faciunt, quales erant Apostoli, cum ad eos illa protulit verba. *Et vos mundi estis sed non omnes.* Mundities enim ista, sine obseruatione mandatorum Dei haberi nequit. Porro ne nimium sis securus, adiungit Christus particulam conditionatam. *Si inquit seruauerit.* Quis uero nisi impudens dicat, se omnes sermones Christi fideliter executum esse? Apostolus uero Paulus miro artificio vna sententia confodit utrumque. Nam cum inquit. *Nihil mihi conscius sum,* primum expugnat. Qui enim id vere dicere potest, iustus est, neque peccat in quolibet opere, ut impij uolunt. Cum uero subdit. *Sed non in hoc iustificatus sum, qui autem iudicat me dominus est.* alterum arguit. Quare danda est nobis opera dilectissimi, ut quilibet nostrum nullius peccati lethalis sibi conscius dicere valeat illa Christi uerba. **QVIS EX VOBIS ARGVET ME DE PECCATO?** Nec uero in superbiam, & minus securam securitatem prolabamur, posteriorum Pauli uerborum memores simus, & *cum metu ac tremore salutem nostram operemur.* Perpicaces enim oculos habet Deus, quibus uidet in nobis, quæ nos non agnoscimus in nobis. Nouit enim ille, an sufficientem dolorem pro peccatis habuerimus, nec ne; an **SERMONEM** eius seruemus nec

*104. 13. 10*

*Iuxta Paulum*

*1. Cor. 4. 4.*

*Phil. 2. 12.*

nc,



ne, an quantum satis est, & à nobis requiritur cum amemus nec ne, an in operibus bonis perseverabimus nec ne, & his similia, quæ nobis penitus ignota, & incognita sunt.

*Via secura.* Nos nihilominus faciamus, ex charitate cū humilitate quod nostri est officii, & maxime quod dixi ex Paulo, ut nullius peccati mortiferi nobis simus conscii, reliquum vero Christi charitati committamus, quæ nunquam equidem nos fallat. Verum nimium forte in primis Christi verbis hæsimus, proinde ulterius progrediamur.

**TERTI.**  
*VM Christi benefici-  
cium. Paterna ad  
veritatem in  
uitatio.*

Alterum Christi Domini ad Iudæos prolatum verbum est illud. SI VERITATEM DICO, QUARE VOS NON CREDITIS MIHI. novam continens gratiam, imo plures, tres omnino: tam quod convincat illos erroris dilemmate, ut in secunda concione audiui-  
flis: tum quod magna cum modestia id agat: tum quod amanter demonstrat, se summo-  
pere salutem ipsorum exoptare. Quid n. aliud spirant verba illa. QUARE VOS NON CREDITIS MIHI, quæ paternū, imo maternum plane amorem? Nonne eadem phrasi utuntur parentes, cum à liberis fidem dari sibi exigunt? Sed frustra ingrato illi & indurato populo, omnia adhibentur remedia. Ne sint i-  
gitur in nobis obsecro frustra. Quinimo duo præstemus. Alterum quod in priori pū-  
cto monui, ut pro ingratitude Iudæorum,

*Repudiant  
ad Iudæos.*

*Nos duplici-  
ter accipie-  
mus.*



nos gratiarum actiones, pro duro illorū corde, nos nostrum carneum & molle, ac ad omnem veritatem ac pietatem recipiendam flexibile reddamus: Ita enim & in charitate proficiemus, & multum merebimur. Alterū moneo, vt verborum illorum ante oculos mentis nostræ iugis obuerfetur memoria. Vereor n. plurimū ne ex defectu huius considerationis graues à nobis committantur errores. Dic quæso si videres Christū Iesum, vel in platea stantem & hospitium quærentem, vel hic in templo eleemosynam à te petentem, aut nudum vestē exigentem, nōne statim & ad domum tuam illū inuitares, & nudum vestires, & roganti vberem eleemosynam dares? Nihil equidem dubito. Cur ergo idem nunc non præstas pauperi mendico, vel peregrino aliunde aduentanti, cum scias Christum ore suo protulisse verba illa. *Amen dico vobis, quam diu fecistis vni ex his fratribus meis. minimis mihi fecistis?* Nescio an aliam veriore causam excogitabis, quam quod aut non credis Christo, veritatem dicenti ( sicut Iudæi isti non crediderunt ) se in pauperibus, & peregrinis esse, aut quod dicta ipsius non ita vt par est consideras. Emendemus igitur nos quæso diligenter, & ex hoc exemplo, alia nobis formemus, indeque tum discis tū charitate Christi Iesu, exstimulemus

1. *Compensando iudaorum defectus.*  
 2. *Credeō in omnibus Christo.*  
*Exemplū.*  
**NOTA.**

*Math. 23. 40.*

in



in nobis charitatem nostram, ad exercenda opera misericordiae, & ad praestandam gratiam Christo domino, in pauperibus ipsius, & alacriter & copiose.

*QVARTVM* Beneficium Velle & sis ex Deo.

*Psal. 1. 3.*  
*A simili*

*Repudiant*  
*sed iudei.*  
*Psal. 51. 4.*  
*Gal. 4. 19.*  
*1. Cor. 4. 15*

*Fons cala-*  
*mitatum.*

Tertium Christi Iesu dictum. QUI EX DEO EST VERBA DEI AUDIT. aliud tum illis quibus haec dicebantur: tum nobis Christi benevolentiae ingerit documentum. Verisque enim modeste & amanter ad radicem (quod dicitur) securis apponitur, ut mala arbore excisa, bona quae reddat *fructu suum in tempore suo*, implantari queat. O amor! o sapientia! Quemadmodum enim reiectio VERBI DEI, malae: ita auditio (uti hic sumitur pro obediuntione) bonae arboris radix est, imo & arbor ipsa & fructus eius. In philosophia enim Christiana, vna res multa significat, ut alias audiistis & intellexistis. Itaque quia auditione hac caruerunt isti Iudaei, propterea ut olim de iis praedixerat David, errauerunt ab vero Christi Iesu, qui illos Deo patri generare voluit, multo magis proprie, quam ille qui dicebat *filioli quos iterum parturio*. Et rursus. *Nam in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui*. Nec solum autem errauerunt ab vero. sed etiam locuti sunt *falsa*, imo mendacia, imo contumeliosa, imo blasphema, ut in Euangelio hodierno patet. Ita & olim fuit, & nunc est, totius quod dicitur fundi nostri calamitas, nempe ex Deo



Deo non esse. Tales erant hi Iudæi. Cur?  
 Quia errauerunt ab vtero Dei ex quo nasci  
 debuerunt, iuxta dictum Christi ad Nico-  
 demū, nisi quis renatus fuerit denuo non potest *Ioan. 3. 5.*  
 videre regnum Dei. Errauerunt ab vtero, qui  
 VERBUM DEI audire, eiq; obedire nolue-  
 runt: recipere autem VERBUM DEI, no-  
 luerunt, quia vt audis ex Dauide, & vides in  
 Evangelio, locuti sunt falsa, diligentes magis  
 mendacium quàm veritatem, ad quam ta-  
 men amplectendam maxima habuerunt  
 media. Quis hoc dubitare potest? Ipse filius  
 Dei factus filius hominis, eis ore suo locutus  
 est, ipse signa & miracula coram eis, quæ ne- *Ioan. 15. 24.*  
 mo alius fecit, ipse vitæ suæ sanctimonia, eos  
 ad fidem sibi adhibendam traxit, ipse & alia  
 nobis ignota peregit, verum hæc ob assigna-  
 tam causam, in vanum abierunt vniverla.  
 Ne ergo abeant in nobis obsecro. Non abi- *Nostrum*  
 bunt autem, si & beneficijs nobis exhibitis *officium.*  
 grati erimus modis in alijs pūctis iam expli-  
 catis, & audire VERBUM DEI eiq; obedire  
 studuerimus. Ita enim Ex Deo erimus, &  
 charitati divinæ, quæ dedit nobis potestatem *Io. 1. 12.*  
 filios Dei fieri, charitate nostra respondebi-  
 mus, securiq; vivemus.

Hæc ex ij initio Evangelio: in decursu ve- *Tria alia*  
 rò, & tota hac Christi cū adversarijs decerta- *signa amo-*  
 tione, tria alia notamus, benevolentia & a- *ris Christi*  
 moris I E S V signa, tresq; modos quibus Iu- *ex concerta*  
 dzos *tionem.*



dxos Deo patri reconciliare, & ad veram fidem ac pietatem adducere conatur. Modi sunt his tribus comprehensi verbis memorix causa. Instruit, terret, mulcet; quæ omnia dulcorat & condit stupenda planè charitate, humilitate, modestia, ac patientia, quæ post tot acceptas iniurias, contumelias, blasphemias, tanquam rosæ pulcherrimæ in medio spinarum sese efferunt, & odorem suavissimum effundunt. Excutiamus singula breuiter per ordinem.

*QVIN-  
TVM in-  
structio de  
mysteriis  
magnis.  
Gloria pro-  
pria interi-  
tus causa  
magnorū.*

*Exemplum*

INSTRUIT, varia eis pandens mysteria, qui illis digni non erant. Docet. n. eos, quid sit beatitudo, & quæ via ad acquirendam illam, de quo paulò post. Docet præterea & se maiorem esse Abrahamo, & patrem se habere Deum, indeq; mysterium Trinitatis insinuat; quo abstrusius & præclariùs nullum. Docet denique causam proximam reiectionis ipsorum fuisse tum illam, quam iam attulimus: tam quod neque Deum, neque filium eius sed se ipsos honorarent. Et hæc ipsa etiam nunc personarum præsertim, quæ siue corporis, siue animi & ingenij pollent viribus interitus causa est, præcipua. Quæ de re quia in prima Concione pluribus egimus, nunc vnum quod audiui adiungo exemplum, duorum videlicet militum qui cū essent socij amicissimi pactum inter se, quavis impar suis viribus inierant, nempe, ut qui



qui prior ex hac decederet vita, post mortē  
 status sui socium certiore redderet. Quo-  
 rū cū vnus paulo post in p̄celio occubisset  
 aliquot tandē post annos amico apparuit,  
 per quietem nocturnam, percontantique  
 socio cur tam tarde venisset respondit, non  
 aliam fuisse diuinam voluntatē. Porro iuxta  
 condictum de statu suo certiorē illū reddere  
 volens, monuit superflitem, vt manum ex-  
 tenderet, quod cum fecisset, guttā quandam  
 suo è digito immisit in manum eius, quæ  
 feruore & dolore maximo statim manum  
 viuentis, transuerberauit, subiunxitq; mor-  
 tuus dolorē illum guttulā tm̄ esse tormen-  
 torū quæ ipse pateretur damnatus. Causam  
 denique damnationis sciscitanti socio, non  
 aliam fuisse respondit, quam quod magis  
 propriam quam Dei quæsiuisset gloriam,  
 ac honorem. Hæc an sint adeo certa nescio,  
 audita refero, vnum scio non absimilia esse  
 in antiquorum historiis, porro causam da-  
 mnationis allatam (propter quam hæc nos  
 adduximus) etiam ipsi scripturæ conformē  
 esse tum in hodierno Euangelio clarum est,  
 tum clarius alibi dicente Christo eisdem  
 suis aduersariis. *Quomodo vos potestis  
 credere, qui gloriam ab inuicem accipitis  
 & gloriam quæ à solo Deo est non quæri-  
 tis?* Quod vero de incredulitate dici-  
 tur,

*Conforma  
 scriptura.*



tur, idem de impietate & perditione sentiendum est. Talium vero cum Christus in Euangelio passim & Iudæos, & nos admonet, in magni beneficii loco id reponendum erit.

*SEXTVM*  
*terror.*

TERRET præterea Christus illis verbis EST QUI QUÆRAT ET IUDICET. Cuius territamenti, nos quoque memores sumus, ne peccatis Iudæorum implicati, iudicio quoq; & pœnis eorum inuoluamur. Quo etiam conducit iam iam recitata historia. At hæc inquis, non ad charitatem sed ad timorem excitandum valent. Imo ad vtrumque, & propter condimentum amoris, quod hic in Christo emicat huc spectant plurimū. An ignoratis amorem & timorem quamuis in quibusdam sibi aduersentur, multum tamen iuuari abinuicem? Nam & timor amorem ex duro corde excutit, vt chalybs à silice ignem, & amor timorem parit, quem vocant reuerentialem. Spiritualibus satis. Iam ad propria redeamus.

*Amoris cū*  
*timore co-*  
*gnatio.*

*SEPTI.*  
*MVM pro*  
*missa ma-*  
*gnifica.*  
*NOTA.*

MVLGET, denique Dominus Iesus, cum aliis verbis: tum illis promissis. AMEN AMEN DICO VOBIS SI QVIS SERMONEM MEVM SERVAVERIT, MORTEM NON VIDEBIT IN ÆTERNVM. Quid hac dignatione dignius? Quid promissis Christi iuramento quasi firmatis certius, & firmitus? Quid denique charitate ista præstantius, & admirabilius? Pa-  
rant



rant Iudæi isti lapides, vt Christo auferant vitam temporaneam: parat ipse eis & pollicetur gratiam per quam possent acquirere vitam sempiternam. O amor! ò liberalitas! Neglexerunt Iudæi hæc vniuersa: non negligamus nos obsecro vniuersi. Quid desiderabilius vita beata perenniter mansura? Et vide breuibus verbis, quam multa, imo totum quasi complexus est. Docet enim finem ad quem conditus est homo qui alius non est, quam vt MORTEM NON VIDEAT IN ÆTERNVM, iunctus æterno Deo per visionem beatam. Docet & media quibus ad id peruenitur, quæ duo sunt, NOSSE DEVM, ET SERVARE SERMONEM ipsius: quod aliquoties inculcat. Quid doctrina hac compendiosius, augustius, vtilius? Amplectamur igitur illam & studiose exequamur delectissimi, nostra enim res agitur, nobis incumbit exequi, & possidere, quod Iudæi repudiarunt impie. Modum quo id assequi queas quæris? Is duobus in verbis consistit, nempe in fide per quam NOVIMVS DEVM. Et in charitate, qua SERVAMVS SERMONES EIVS, & quam ipsa etiam hæc concio titulo commendat suo. Itaque non plura de his. Id vnum adiungo nos si hoc habuerimus, in iisq; perseverauerimus, certe è prædestinatorum numero futuros.

*Beatitudo quid.*

*Quæ via ad eam.*

*Fons prædestinationis.*



Ed enim omnia eius signa reducuntur. De quibus iam sigillatim agamus.

*II. PARS*

*Signa præ-*  
*destinatio-*  
*nis.*

*PRIMUM*  
*sine peccato*  
*esse.*

Signa prædestinationis ex signis reprobationis, quæ in prima concione tractauimus, facillè è sensu cõtrario cognoscuntur. Ea ergo perstringamus, & alia ex Euangelio hodierno adiungamus. Primum itaq; & primarium, illis notatur primis Euangelij verbis. **QVIS EX VOBIS ARGVET ME DE PECCATO.** Hæc cui verè non solum coram hominibus, sed etiam coram Deo & angelis eius competunt, non quidem in eâ perfectione qua Christo seruibant (absit tanta à Christianis blasphemia) sed in illa quam toties in istis concionibus explicui, is sanè eximium prædestinationis signum in sua gerit conscientia. Nec refert quicquam etiamsi id à nobis ignoretur, imo confert vt nesciatur, tum ad superbiam comprimendam: tum ad humilitatem aliasque virtutes acquirendas. Exemplo res fiat illustrior. Quis è duobus, quorum alter certissimo sibi persuadet, se esse regem cum non sit, sed sit miser & inops, alter vero ignorat an sit, cum tamen verè sit rex. Quis inquam è duobus istis iudicium mundi sequendo fælicior esse videtur? Nonne postremus? Certe omnium iudicio. Eiusmodi porro sunt multi Catholici, prioris vero ordinis sunt omnes hæretici respectu regni cœlestis. Isti enim nosse se aiunt,

*Salubriter*  
*ad ignora-*  
*tur.*

*Exemplum*

*NOTA.*



aiunt, se certò esse saluandos, quod est regē  
 esse cœlestem. Omnes n. ibi *regnabunt in se.* *Apo. 12. 5.*  
*cula seculorum,* teste scriptura: nos vero hu-  
 militer de nobis sentientes asserimus, nos  
 quidē id ignorare, sperare tamen. Cuius tñ *Sciri ta-*  
 spei, tanta potest esse certitudo in quibusdā, *meu & al-*  
 vt omnes huius mūdi certitudines superet. *de clare nō-*  
 Dixi id in alia concione, nūc explico ad cō- *nunquam.*  
 solationem meorum Catholicorum Potest  
 n. aliquis adeo luculenta signa in se habere  
 prædestinationis diuinæ, vt suo modo, & in  
 suo ordine tā certo credat se esse SINE PEC-  
 CATO mortifero, ideoque in gratia diuina  
 (quæ ad prædestinationem omninò requi-  
 tuntur) quam credit post tot horas solē oc-  
 cubiturū, & post tot alias horas exoriturū &  
 si quid est in rebus mundanis hoc certius.  
 Quid ergo vis amplius? Viue vt in priori pū-  
 ctō te docuit Christus. & ita perseuera, pote-  
 risq; ēt ad tātam certitudinem de salute tua  
 peruenire. Dices potero ergo credere certo  
 me ex prædestinatorum esse numero, & sal-  
 uatum iri. Sicut certo credo illa euentura q̄  
 recēsuisti. Respondeo posse quempiā ad talē  
 fidē peruenire. At hæc non est fides diuina,  
 de qua inter nos & hæreticos disceptatur, sed  
 est spes, ideoq; hæc non fidei sed spei est cer-  
 titudo, admittens timorem contrarii. Fi-  
 dei enim diuinæ non potest subesse fallum  
*(cælum & terra transibunt, verba autem mea* *Luc. 21. 33.*



*Ies. 10. 12.*  
*4. Reg. 20.*  
*30.*  
*D. Aug. lib.*  
*21. de trimst.*  
*Det. c. 8.*

*non transibunt* inquit saluator Iesus) quod tamen etiam in talibus euenire potest. Quis enim scit, an non exurgat hodie quispiam, aut Iosue qui stare, aut Isaias qui retrocedere (vt D. Augustinus sentit) faciet solem? atque ita fallatur hæc tua fides, quod in fide diuina, quam se habere hæretici iactant, impossibile est. Hæc tam propter conuersione hæreticorum; quam ad consolationem, & ad excitandam charitatem in animis Catholicorum ergalesum, munificentissimum dominum discla sufficiant. Possent hæc declarari tum rationibus: tum exemplis Hilariionis, Martini & aliorum, sed prosequamur reliqua.

*SECVN-*  
*DVM A-*  
*mor Verita*  
*tis.*  
*NOTA.*

Alterum itaque prædestinationis signum in illis sequentibus verbis. **SI VERITATEM DICO QVARE VOS NON CREDITIS MITTI**: à contrario sensu notare possumus. Sicut enim veritatem odisse reprobationis, ita eam amare prædestinationis est signum aliquod. Euenit namque vt qui eiusmodi sunt à Deo illuminentur, & tum ad fidem rectam, tum ad vitam frugi adducantur. Habent enim aliquam in se ad pietatem dispositionem. Nam natura ipsa comparatum est laudare eos qui sunt veritatis amantes, qui que patiuntur sibi verum dici, etiam si id moribus ipsorum contradicat, in primis vero qui sincere & serio

in a-

*Ratio.*



in animo suo constituunt, sequi agnitam  
 veritatem. Quod quidem hereticorum pro-  
 fitentur plurimi, habent rari, & hi plerumq;  
 conuertuntur. Eiusmodi videtur mihi  
 fuisse Apostolus Paulus, qui vt ipse fate-  
 tur, *abundantius emulator existens paterna-  
 rum traditionum*, quia id & *ignorans*, & amo-  
 re quodam tuendæ veritatis (vt illi tunc licet  
 erroneè videbatur) fecit, à Domino *miseris  
 cordiam consecutus* est, vt veritas illi manife-  
 staretur, quam agnitam, & complexus est  
 statim, & mirificè defendit, & inter præde-  
 stinatos computatus fuit. Non ab simile est  
 exemplum domesticum viri cuiusdam Illu-  
 stris mihi bene noti, qui in Academiis hære-  
 ticis educatus, cum esset acris ingenij, eo do-  
 ctinæ deuenit, vt omnes ministros variarū  
 sectarum argumentis conuinceret, eoque  
 redigeretur, vt cui fidei adhærescere debe-  
 ret penitus ignoraret. Nam etiam Catho-  
 lica ei in quibusdam non arridebat. Ani-  
 mus nihilominus ipsius, quem palam testa-  
 batur coram omnibus erat, sequi agnitam à  
 se veritatem, etiamsi secta quæ eam profite-  
 retur esset omnibus exosa hominibus. Quid  
 factū? Id videlicet vt postea vir iste Illustris  
 à Ministro quodam Saenfeldiano ad fidem  
 & Ecclesiam Catholicam conuerteretur.  
 Quid? Nonne id miraculi instar vobis esse  
 videtur. Est fanè. At modus videtur adhuc  
 z 5 magis

*Exemplum  
 D. Pauli.  
 Gal. 1. 14.  
 1. Tim. 1. 13*

*Aliud do-  
 mesticum  
 instar mi-  
 raculi.*



magis miraculosis. Nam constrictus ab eo Minister ille Suencfeldianus argumentis, cum quod responderet non haberet protulit libellum germanicum, excusum quidem sed suppresso nomine authoris, quem Minister professionem suæ fidei esse aiebat. Hunc cum vir ille Illustris auide totum legisset, adeo ei placuit, vt testaretur, & libellum illum Spiritus sancti instinctu scriptum fuisse, & se eiusdem omnino fidei futurum, cuius is erat, qui librum conscripserat. Erat porro libellus ille de imitatione Christi, sed mutilatus, & libro quarto, & quibusdam aliis, qualem & ipse vidi. Huius igitur libelli auctorem cum vir ille intellexisset fuisse siue Gersonem, siue Thomam de Kempis, verumque Catholicum, manus veritati dedit, pieque mortuus, è prædestinatorum numero fuisse creditur. Hæc tacenda non videbantur. Considerem enim in Domino Iesu, si omnes hæretici eiusdem essent animi, viuerentque moraliter benè, eos breui Catholicos futuros. Est igitur amor & desiderium agnoscendæ veritatis, signum aliquod prædestinationis.

*TERTIUM  
VERBUM esse ex  
Deo,*

Tertium vero est verbis illis Christi Iesu expressum. QVI EX DEO EST VERBUM DEI AUDIT. duasque complectitur notas. Prior essentialior, sed obscurior est. Quis enim extra periculum præsumptionis & super-  
biz



bit dicere audebit se ex Deo esse? Si tamen ea quæ in duobus prioribus signis notauimus, aliquis in se sincerè, & humiliter sentierit, si in quâ & verè Catholicus esset, & peccati mortiferi sibi conscius non esset, & in vtroque fideliter perseveraret, spem bonam posset concipere, se ex Deo esse.

Posterior prædestinationis nota, tribus illis verbis **VERBUM DEI AUDIT** signata clarior est, & excellens. Etenim si quis illis quæ in prima concione de reprobis hac in parte diximus cõtraria egerit. Nempe si verbum Dei in iocos nõ conuerterit, si auaritiæ cæterisq; vitiis non studuerit, si non hypocriticè, sed sincere ac libenter, non corporis tantum, sed & animæ auribus verbum Dei perceperit, & quod caput est, si ita illud audiuerit, vt ipse à famulis audiri vult (vult enim vt sibi obediatur) si denique alios quos potest ad audiendum verbum Dei pertraxerit, & ipse nõ in concionibus, & exhortationibus modo, sed etiam in mensa, in congressibus, in priuatis colloquiis de verbo Dei disferentes, cū gustu audiuerit, imo ipse quoq; sermones spirituales sedulo miscuerit, si inquam quispiam hæc habuerit, præclarū sane signū prædestinationis in eo reperietur. Dicā ingenuè, quotquot eiusmodi viros & sceminas noueram, tot sanctè mortuos, vel vidē vel intellexi. Proinde notam hanc inter prima

*QVARTVM Audi  
re Verbum  
Dei.*



QVIN-  
TVM  
Dei hono-  
rem qua-  
rere.

ma prædestinationis vestigia repono lu-  
bens.

Talis D.  
Paulus.  
Rom. 8. 14.  
Ibid. 9. 17.

Aliud prædestinationis signum porri-  
gunt nobis verba illa HONORIFICO  
PATREM MEVM. Qui enim non suum  
sed Patris æterni, & Christi Iesu honorem  
sincere quærit, is indicium dat exitium, se  
ex eorum esse numero, de quibus D. Paulus,  
*ij sunt filii Dei.* in quibus se ipsum compu-  
tans subdit. *Si autem filij & hæredes, hæredes*

Gal. 6. 14.

*quidem Dei cohæredes autem Christi.* Quid ve-  
ro est aliud hæredem esse Dei quàm esse præ-  
destinatum? Quis vero ignorat Paulum  
Apostolum hac in parte admirabilem fuisse,  
& sua neglecta Christi Iesu gloriam & ho-  
norem per omnia, & in omnibus quæsiuis-  
se?

2. Tim. 4. 8

Hinc sunt illa ipsius verba. *Mihi au-  
tem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Ie-  
su Christi,* & his similia multa. Proinde se-  
curus de sua prædestinatione dicebat. *Inre-  
liquo reposita est mihi corona iustitiæ quam ved-  
det mihi Dominus in illa die, iustus iudex.* Ve-  
que alios & nosmetipsos animaret subiun-  
git. *Non solum autem mihi, sed & iis qui dili-  
gunt aduentum eius.* Eiusmodi vero fuerunt,

Tales om-  
nes sancti.

& sunt omnes sancti martyres, confessores,  
monachi, anachoretæ, virgines, viduæ, imo  
& principes & reges plurimi, qui suum ho-  
norem profundentes propter Christi, &  
Dei gloriam: alij quidem, (dicam cum  
Paulo)



Paulo ) Ludibria & verbera experti, insuper *Heb. 11. 36.*  
 & vincula & carceres, lapidati sunt, tentati *& seq.*  
 sunt, igne, ferro, & exquisitissimis tormen-  
 tis exagitati mortui sunt. Alij vero circue-  
 runt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, an-  
 gustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus,  
 in solitudinibus errantes, in montibus, & spe-  
 luncis, & cauernis terra. Istorum si olim ma-  
 gnus fuit numerus, quem cum gustu recen-  
 ser ibidem D. Paulus, quanto maior ac penè  
 innumerabilis erit in nouo Testamento.  
 Quorum si vitam & exitum è vita confide-  
 rauerimus, inueniemus non alia, quam di-  
 cta de causa, nempe ob honorem Christi,  
 eos hæc & fecisse, & sustinuisse vniuersa.  
 Quare animemur nos quoque dilectissimi, *Tales &*  
 ad eorum sectanda vestigia, vt & nos cum *nos esse stu-*  
 illis repromissionè, & ipsi: non sine nobis, acci- *deamus.*  
 piam consummationem. O gloria! ô læti- *Ibid. v. 32.*  
 tia sempiterna! Putasne Domne Iesu vide-  
 bimus diem illam? Te authore, ductore,  
 promotore, promeritore, excutore, spera-  
 mus & amamus.

Hæc sunt quæ ex Euangelio prædestina- *SEXTVS*  
 tionis vestigia notanda occurrebant, addo *status ve-*  
 vnum, hæcque ratione ad id quod postre- *ligiosus.*  
 mo loco tractandum suscepi deuenio. Ita-  
 que ad non videndam MORTEM IN Æ-  
 TERNVM) quod prædestinationis synony- *In quo sig-*  
 mum est) signū à sanctis haud postremum *num hoc*  
 nume- *consistat.*



numeratur in statu religionis approbatæ esse, viuere, commori, mori. Si enim sumus in ea per vocationem Iesu, si viuimus per custodiam mandatorum Iesu, si commorimur per obseruationem consiliorum Iesu, si denique morimur iuxta instituta, regulas, ordinationes eius, quem complexi sumus status, propter amorē Iesu: beati erimus, qui tale prædestinationis, ad vitam & gloriam sempiternam monumentum, & insigne in nobis gerimus, vt post martyrium vix vllum sit illo excellentius & certius. Est igitur quod pro tanto Christi Iesu Domini nostri beneficio, quas possumus maximas agamus habeamusque gratias. Est quod in his quæ recensuimus, nos noctu atque interdium sedulo exerceamus, sicque ad metam mortis constanter curramus. Est denique cur brauium nobis à CHRISTO IESU assignatum læti & alacres spectemus & expectemus.

*Eius dignitas.*

*III. PARS.  
Religiosus  
tangit qui  
bus magis  
magis  
conuenit.*

Eam porro ad rem proderit plurimum: tum ex allatis signis prædestinationis: tum ex Euangelio monita aliquot & meditari frequenter, & exequi diligenter. Si enim ista quæ in notis ex Euangelio collectis posuimus, omnibus conueniunt Christianis (sicut competunt, vniuersis) multo certo magis, maioriq̃ue cum perfectione, à nobis requiruntur, qui & ad perfectionem tendimus,



dimus, & ad seruanda ea efficaciora media, stimulosque plures habemus. Dignum itaque est, vt ea iterum iterumque resumamus, & nobis applicemus. Primum fuit ex primis Euangelij verbis quæ omnibus quidem congruunt, eo quo explicuimus modo, nobis vero ampliori etiã ratione saltem vt quilibet nostrũ, bona conscientia & humili corde dicere queat. **QVIS EX VOBIS**, quibus cum conuersor vel conuersatus fui **ARGVET ME DE PECCATO** mortifero, commisso post ingressum religionis sanctæ? Id equidem æquissimum est, tum iam dictas ob causas, tũ quod finis primarius amplectendi huius instituti noster fuerit, salus animæ nostræ, quæ utiq; cũ peccato læthali stare non potest. Imo vero respectu etiã grauium peccatorum venialium quæ non è surreptione committuntur, vt locum hoc dictum in nobis habeat dignissimum, ideoque sedulo procurandum est.

*PRIMO  
Esse sine  
peccato.*

*Etiã graui  
venialis.*

Veritatis vero cognitio & amor quanto-  
pere nobis sit necessarius, qui ne à mēdaciis  
& vanitatibus mūdi huius submergeremur,  
ad religionem, tanquam ad sacram ancho-  
ram, quæ nos in portu spumantis istius ma-  
ris collocaret confugimus quis non videt?  
Præsertim vero nobis quorum officium ex  
charitate susceptum est, alios veritatem do-  
cere. Cæterum ad eam agnoscendam, conser-  
uandam,

*SECVN-  
DO Verita-  
tē amare.  
I. Ratione  
Vocationis.*



2. Pests cō-  
traria.  
3. Natura  
obediētia.

Tria ad id  
media.  
NOTA.

uandam, & augendam momenti plurimum  
habet proprio iudicio non fidere nimium.  
Ista enim est pestis, quæ veritatem è menti-  
bus hominum tollit. Ista mater omnium  
errorum & hæresum. Ista religiosi perso-  
nis tam contraria quam quod maximè. Non  
solum enim pugnat cum voto obedientiæ,  
cuius munus est, iudicium suum iudicio su-  
perioris submittere: Sed est etiam causa &  
ansa apostasiæ, tam à vita religiosa, quam à  
fide Catholica. Nonne id in Lutero, Bu-  
cero, Ochino, & aliis innumeris videmus?  
Hæc igitur pernicies summopere est fugi-  
enda. Quam ad rem confert, Primo confi-  
derare quantum hæc proprii iudicij pestis  
nocenti afferat. Tantum sanè vt præ-  
ter dicta, nec ipsi denique Christo iudicium  
suum qui proprio iudicio fidunt submit-  
tere velint. Id in Iudæis istis in hodierno  
Euangelio, id in hæresiarchis, id in aliis ob-  
stinatis conspiciamus, quos agnitam etiam  
veritatem oppugnare videmus. Quid ve-  
ro hoc est aliud, quam Christo qui ipsa ve-  
ritas est apertè contradicere velle? Secun-  
do syncerus amor veritatis: quo præditi sta-  
tuemus in animo nostro veritatem à quo-  
cunque nobis illa manifestetur amplecti &  
sequi, nulla nostræ æstimationis habita ra-  
tione. Postremum & tutissimum est, tum in  
doctrinis, tum in rebus aliis, quæ cum cui-  
denti



dentis peccato coniunctæ non sunt, superiorum quidem nostrorum iudicio promptè & alacriter, cæterorum vero pacis, & vniõnis conferuandæ causa, non inuitè acquiescere.

De tertia prædestinationis nota nihil dico aliud, quam eam respectu nostri cum sexta conuenire. Si enim ea quæ dicta sunt fideliter habuerimus, nã nos **EX DEO** criminus.

*TERTIO  
Ex Deo esse.*

Sed & in nota de auditione verbi, non est quod me occupem, cum materiam hanc ante octiduum copiosè & ex professo, pro religiosis tractauerim. Ne ergo repetitio fastidium pariat, eo vos mitto. Adiungo vnum pro omnibus exemplum ad declarandum illud quod Saluator inquit. **QUI EX DEO EST VERBA DEI AUDIT.** Sicut enim quando dubitatur, quisnam sit ex eo qui mortuus est, id est, quis sit demortui filius, is certe qui libenter & alacriter audit gesta mortui, etiamsi eadem, centies repetantur, magnum dat documētum, se ipsius filium esse: ita qui tenerrimè, & magno cum gustu percipit verbum Dei, ac gesta Christi Iesu frequenter licet iterata audit indefesse, eximium gerit signum, se **EX DEO**, ac proinde ex prædestinatorum, ne videat **MORTEM IN ÆTERNVM** esse numero.

*QUARTO  
Verbum  
Dei audire.*

*Ab eneplo.*



QVIN-  
TV M  
Christi glo-  
riam que-  
vere non su-  
am Id. n.  
7. Statui  
repugnat.

Matt. 11. 8.

2. Bis ne-  
quam.

Eccl. 19. 23.

De Dei Christi que gloria purè quæren-  
da quid dicam? Id videlicet mihi adeo videri  
proprium, hoc esse religiosorum, ut mirum  
sit apud me posse quempiam eorum reperi-  
ri, qui secus se gerat. Ipse enim status, cultus,  
vultus, victus, vestitusque ratio quid aliud  
clamant, quam nos nostro quidem penitus  
renunciassè Christi vero IESV consultum  
velle honori? Quis non demiretur aliquem  
operis quidpiam aggressurum, si contrarijs  
ad id exequendum medijs vteretur? At ita  
se profecto habet religiosus, qui Christi ne-  
glecto suum quærit honorè. *Ecce qui mollib.  
vestiuntur in domibus regum sunt.* ait Saluator,  
pro maximo absurdo reputans posse ali-  
quem in eremo taliter vestitum reperi. Nō  
absimili ratione nos quoque dicere possu-  
mus. Si proprius honor & æstimatio dig-  
nitatis ecclesiastica nobis cordi fuit, cur  
quæso ad easdem aulas regum vel princi-  
pum siue secularium, siue Ecclesiasticarum,  
vbi hæc distribuuntur, non confugimus?  
Cur vestitu, cultuque non qui talibus com-  
petit: sed qui contrariatur vtimur? Fortè  
quia istis illa venamur. O statum miserum,  
bis nequam, tum quod rem sectatur illicitam:  
tum quod hypocrisis laboret. Id vero  
iam pridem insectatur scriptura dicens. *Est  
qui nequiter humiliat se & interiora eius plena  
sunt dolo.* Hæc intelligentibus pauca suffici-  
ant.



ant. Do remedium excellentissimum sanè *Remedia*  
 ex ore ipsius filij Dei procedens, HONORO *1. Verba*  
 PATREM MEVM. ait ille. Et iterum, EGO *Christo*  
 NON QVÆRO GLORIAM MEAM. Si hæc  
 inquit ille filius Dei, ille qui est rex regum,  
 ille cui omnis honor debetur : quid nos  
 qui sumus *natura filij iræ; corpore esca* *Eph. 2. 3.*  
 vermium, religiosa professione paupe-  
 res, & mendici dicere conuenit? Hic igi-  
 tur contra omnes de honore nostro conse-  
 ctando suggestiones Sathanæ sit aries for-  
 tissimus, nempe corde semper, ore etiam  
 nonnunquam repetere verba ista. NON  
 QVÆRO GLORIAM MEAM, repudio *2. Casus*  
 fastidio, conculco eam, ne sim tibi, ô Sa- *Sathana.*  
 than similis, qui dum quæris tuam promo-  
 uere gloriâ, ex pulchro angelo, turpis factus.  
 es diabolus. Casus tuus cautum me reddit  
 Discede, erubescere, nequam talia mihi insu-  
 furrando, EGO NON QVÆRO GLORIAM *3. Timor*  
 MEAM, sed HONORIFICO PATREM cœ- *sudicij.*  
 lestem: tum quod ita conueniat: tum quod  
 audiam filium ipsius, de eo loquentem EST  
 QUI QVÆRAT ET IVDICET. Proin-  
 de certus sum Deum iudicaturum, & con-  
 demnaturum aut me, si tibi obtempera-  
 nero, & honorem indebitum consecutus  
 fuero, aut te, si me cum tuis affectis persecu-  
 tus fueris, sicut hic per Iudæos Domino  
 meo Iesu fecisti.



*SEXTVM  
Tribulatio  
ne tolerare.*

*Modi ali-  
quot Chri-  
sti exemplo.*

Quomodo vero nos in calumniis, & aliis persecutionibus gerere debeamus docet nos exemplar nostrum Christus Iesus. Nempe principio, ut iis quæ ad nostram vergunt ignominiam ne moueamur quidem, sicut ipse vocatus SAMARITANVS responsi dedit nihil. Ad illa vero quæ diuinum concernunt honorem aliquando acrius, aliquando mansuetius: Semper autem prudenter & cum charitate respondeamus, pro loci temporis & personarum qualitate. Fecit hæc omnia Iesus, acrius quidem paulo ante, mansuetius vero in hodierno Euangelio, semper autem tum prudenter, tum amanter aduersariis satisfaciendo. Denique si conuitiis & contumeliis flagra adiunguntur ea aut dextrè declinemus, ut hinc, aut patienter sustineamus ut postea fecit Christus Iesus Dominus noster.

*Conclusio  
per exhortationem  
ad charitatem.*

Postremum quod pro omnibus in calce pono, quodque primum & præcipuum est, siue scopum huius concionis aspicias, siue amplitudinem & utilitatem consideres, siue notam prædestinationis spectes, vocaturque vno verbo CHARITAS. Ama Deum, & proximum, teque ipsum propter eum usque in finem. & sis securus te ex prædestinatorum esse numero. At inquis factum id est impossibile. Imo vero adiuuante gratia diuina, quæ semper præsto adest facile: & quod dicis hæreticum

*NOTA.*



reticum & blasphemum est. Quid? Potest homo ambitiosus, honori, voluptuosus carni, auarus pecuniæ, non nemo cani aut cato, cor & amorem suum tradere totum, & non poterit idem homo, hoc ipsum, cor, & amorem effundere in Deum & Christum Iesum, creatorem, redemptorem, conseruatorem ac benefactorem suum? O vesania qua vix maior vlla? Quare profligatis stultitiis & blasphemis istis, amemus dilectissimi Iesum, quia ipse prior dilexit nos, & si nolumus maiorem, saltem similem illi, quem impij in res creatas collocant, offeramus nos creatori & redemptori nostro, amorem ac charitatem, Charitate enim si præditi fuerimus omnia quæ recensuimus habebimus. Nam & grati beneficiorum Christi eiusque imitatores erimus, & prædestinationis signa vigeant in nobis. Etenim charitate Dei mirabimur, & adorabimus Christi inenarrabilem sanctimoniam, Charitate proximi etiam cum inferioribus subire iudicium nõ detrectabimus. Charitate Dei in Christo omnem veritatem agnoscemus, charitate proximi, proximo mysteria diuina, quæ scimus pandemus. Charitate Dei promissa ipsius, iucunde recogitabimus: charitate proximi à viis malis eum absterrebimus. Quid vero de signis prædestinationis dicam? Id quod iam insinuauimus, ea videlicet vniuersa in

*Summa  
omnium in  
concione  
dictorum.*



charitate contineri. Charitas enim omne mortiferum à nobis peccatum pellit, veritatem nos amplecti & adamare docet, Ex Deo nos esse facit, auditionem verbi Dei, dulcem nobis reddit, honorem Christi purè & sincerè nos quærere iubet. Charitas in statu religioso nos collocat, firmat, dignosque illo efficit. Charitas denique ad contumelias, calumnias, flagraque pro Christo patienter sufferenda nos animat. Charitatem igitur amplectamur, ac in ea perseveremus dilectissimi, sic enim certi erimus, nos id adepturos, quod hic Christus Iesus quasi iurando pollicetur, nempe non

visuros nos MORTEM IN  
ÆTERNVM. Fiat  
fiat.

